



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Doct. Martini Lvtherii Avgvstiniani Theologi Synceri  
Lvcvbrationvm Pars Vna, quas ædidit usq[ue] in annum  
præsente[m] XX. Catalogum earu[m] uersa tibi pagina  
indicabit. Alio Tomo, Domino Volente, ...**

**Luther, Martin**

**Basileae, 1520**

**VD16 L 3411**

Praeceptvm Primvm: Non Habebis Deos Alienos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34878**



# DECEM PRAECEPTA

VVITTENBERGENSI POPVLO PRAEDICATA,  
PER R. P. MARTINVM LVThERIVM  
AVGVSTINIANVM.

PRAECEPTVM PRIMVM:

NON HABEBIS DEOS ALIENOS.



Præceptum  
dei.

Leges huma  
nae.

PRIMVM quæritur, cur nō præcipit affirmatiue, sic, Habeto propriū uel unū deū, uel adora me unicum deū? Secundo, Cur nō imperatiue magis q̄ indicatiue dicit, non habeto deos alienos?

Ad utrumq; simul respondeo. Quod omne præceptum dei magis positum est, ut ostendat iā præteritū & præsens peccatum, q̄ ut futurum prohibeat. Siquidem iuxta Apostolum, Per legē nihil nisi cognitio peccati. Et iterum, Conclufit deus omnes sub peccatū, ut omnīū miseriat. Ideo præceptum dei ueniens inuenit peccatores, & auget,

ut amplius abundet peccatū, Romanorū quinto. Leges uero hominū propter futura peccata ponuntur. Ideo spiritus, ut est benignissimus magister, magis loquit̄ indicatiue: quasi dicat, O miser homo, ecce tuā tibi ostendo prauitatē. Talis esse deberes, qui nullos deos deberes, nō assumeres nomē dei tui frustra, Sabbathū sanctificares, Non occideres, Non concupisceres &c. Nunc autē totus es alius & peruersus.

Ideo deniq; & negatiue præcipit, quia negatiua est uehementior q̄ affirmatiua. Siquidem & Samaritani olim coluerunt unū deum, sed simul deos suos. Et nūc iudæi atq; gentes, hæretici & mali, immo omnis homo mundi, unū deū colit, quem omnes cognouerūt, ut Roma. j. Apostolus dicit. Sed ibi peccāt quod hunc sic colunt, ut simul & sua idola colant. Ita nullus est hominum in mundo qui non in aliquo gradu quodlibet præceptum faciat: quia nemo est qui nō aliquando nomen dei non in uanum assumat, qui non aliquando nō occidat, nō mœchetur, nō furetur; sed simul tamen omnia etiā contraria faciat, ut uidebitur mus latius infra.

## COROLLARIVM.

Idololatria  
duplex.

Omnes filij Adæ sunt Idololatræ, & primi huius præcepti rei. Verū sciendū, quod Idololatriæ duo sunt genera, Alterum exterius, alterum interius. Exterius quo homo lignū, lapidem, bestias, stellas adorat, ut notum est ex Ve. test. & libris gentilium. Hoc autem procedebat ex interiori. Interius, quo homo uel timore pœnæ, uel amore commodi affectus, foris quidā omittit culturam creaturæ, sed intus manet amor & fiducia in creaturam. Quæ est enim religio, non flectere genua diuitijs & honoribus &c. & tamen cor ac mentem, nobilissimā sui partē offerre illis: hoc est deū adorare in corpore & carne, intus autē adorare creaturā in spiritu. Hæc Idololatria dominat̄ in omni homine, donec sanet̄ per gratiā in fide Iesu Christi. Sicut dicit Psal. lxxx. Audi populus me⁹ & contestabor in te. Israel si audieris me, Non erit in te deus recens, neq; adorabis deū alienū.

Quod



Quod est dicere, Tuis studijs & uiribus nunq̄ eo peruenies, ut deū alienū non adores: quia & si nō coles imagines, corde tamen mihi praeferes creaturā. Tunc aut̄ non adorabis alienum, si me audieris, id est, fides uerbi mei te faciet liberum a dijs alienis, & uerum cultorem dei. Hæc enim abstrahet te a cupiditate & fiducia rerum, & trahet ad creatorem.

Quomodo fiet istud?

Ita fiet, Fides Christi tollit omnem fiduciam sapientiæ, iustitiæ, uirtutis propriae, docens, quod nisi ipse pro te mortuus esset, teq̄ seruaret, nec tu, nec omnis creatura tibi posset prodesse: ac sic oritur omnium cōtemptus. At ubi audis, quod pro te passus est, & credis, iam oritur fiducia in eum & amor dulcis, & sic perit omnis rerū affectus ut inutilium. Et oritur æstimatio solius Christi, ut rei necessaria uehementur, remansitq̄ tibi non nisi solus Iesus, solus satis & sufficiens tibi, ita ut de omnibus desperans unicum habeas hunc, in quo oīa speres, ideoq̄ super omnia eū diligas. At Iesus est uerus, unus, solus deus, quem cū habes, nō habes alienū deum. Iudæi uero timētes, ne alienum deū haberent, si hominem Christū adorent, eo peius adorant alienum deum. s. Idola cordis sui, quæ sibi de deo fingunt. Recte ergo dicit, Si audieris me, q. d. impossibile est ut non adores alienū, si non audieris me, quia non humiliaberis, nec auferetur tibi fiducia creaturæ. Non humiliatus aut̄, non adorabis me, sed te & tua.

Clare ergo patet, quod nemo implet hoc præceptum, nisi credens in Christū sperans, diligens, nudatus ab omnium rerum affectu. Quod sine gratia dei est impossibile.

At sunt multi, qui cum interrogantur, an alienum deū habeant, & idololatres sint, constanter respondent, quod nequaq̄. Hos ut deprehendas manifesto mē dacio, id obserua, Num sint reb<sup>o</sup> ita mortui, & in Christo ita securi, ut nec diuitijs inflectantur, nec paupertate desiciantur, nec honore tumeant, nec ignominia marcescant, nec uita latentur, nec morte terreat̄, nec uoluptate gaudeant, nec passionibus tristentur. Et prorsus ita sint ad utrumq̄ immoti & quieti, ut quoquo modo illa cadant, satis eis sit, q̄ Iesum Christū habeant, immo ut paupertatem, ignominiam, passiones, mortem ament & optent, diuitias, gloriā uoluptatem, uitā fastidiant præ desyderio sui dei Iesu Christi. Sicut ille Psal. xliiij. Quē admodum desyderat ceruus ad fontes aquarū &c. Et sponsa in Canticis: Filie Hierusalem, nunciate dilecto, quia amore langueo. Et Paulus: Cupio dissolui & esse cū Christo. Qui uero hunc in se affectum nondū sentit, confiteatur se nōdū esse purum dei cultorem, sed multa mixtum idololatria: quia dolet, cupit, amat, odit, non sicut debet, nec ea quæ debet. At hic dicit̄, hæc pertinent ad perfectos, non ad omnes; non est necessaria tanta perfectio. Respondeo, Et nos scimus hoc esse perfectorum (id est, non Iudæorum, sed Christianorū) Nō quod damnati sint omnes, qui tam perfecti nō sunt, sed quod ista meta & finis est nobis propositus, a cuius affectuione nemo excusatur, nisi is, qui cū gemitu agnoscit, & confitet̄ sese non esse talem, & quotidie laborat, ut fiat talis. Et quod minus facit, humiliter petit ignosci, dicens: Dimitte nobis debita nostra. Et illud Cor mundū crea in me deus. His inq̄ timoratis, & confitentibus, quærentibus petentibus non imputatur ista Idololatriæ suæ mixtura, propter Christum, in quem credunt. Illis uero, qui sine timore, sine sollicitudine proficiendū in securitate stertūt, omnino imputat̄, & sunt uere idololatres. Nec excusabuntur, quod non sit necesse esse perfectum; quasi præceptū illud lapidibus, aut lignis, ac non

O ij potius



- potius hominibus sit positū, & ita implendum plene atq; perfecte, ut nec unū iota, aut unus apex sit praterendum.
- Peccantes cōtra primū praeceptum.** Pro clariore notitiā, ita ut inferiores possint capere, qui & quomodo cōtra hoc praeceptum peccent, latissime ponam exempla, non tamen omnia ( nisi uelim infinitum numerare ) sed multa, ut eorum comparatione possint reliqua facilius intelligi.
- Superstitiosi** Primo. Sunt aliqui adeo rudes, ut uideat̄ diabolus nō serio, sed uelut moriones suos ioco illudere, inter quos sunt sortilegi, diuini, malefici, incantatores, superstitiosi. Et horum multiplex species, sed in compedium eos redigā, atq; ut facilius teneantur memoria, iuxta aetatum differentias distinguā.
- Adulescētia.** PRIMAE est Adulescētia, per se procliuus in seductionē hostis. Primo sunt qui conceptis uerbis, certisq; signis nouerunt consecrare, id est, execrari gladios, tela, boardas & omne ferrū, ita ut non possent laedi ab illis, siue in bello, siue alias. Vidi ipse ego adulescentē, qui stricto gladio in uentrem nudum fixo, tam ualide urgebat aduersum seipsum, donec capulus reflexus copularetur acuminī super uentrem, & nihil lesus, gladium rursum remisit.
- Gladius, reliū & similiae laedant.**
- Destructores** Secundo. Qui possunt hęc soluere, circulo descripto, ductisq; in puluere signis, & ita alter alterius sacramenta irrita faciens, sese occidunt.
- Characteres in uitro.** Tertio. Sunt qui literas aut characteres super uitrum scribunt, & ad ignē ponunt, torquere soliti hac machina puellas ad sui amorē. At illae rursum, aliae olim ad ignē ponentes, suos Adonides per multa miliaria uocare possunt. Aliae caput asini in medio foco ponētes urgent ad se uenire quotquot uolunt, sui mysterij uel amulos uel cōsortes. Et mirū dictū quod nō sit salus nec remissio uenire coactis, donec igne potiri eis licuerit, asinini capitis coctore.
- Puellae. Amasij.**
- Quarto. Habentur literae, multis sacris & uerbis & signis replete, quas Carolo dicunt a Leone Papa missas in bellum, quod ultra uanitatem, etiā mendaciū est, ut ex Chronicis patet, cum nō fuerint synchroni Leo & Carolus. His tamē tantum tribuunt, ut nec occidi, nec laedi, nec iniuriam pati possit, qui illas porta uerit, ita ut praesumant & iniquis causis uictorias forenses.
- Literae Leonis Papae. Victoriae forenses.**
- Quinto. Obseruāt menses pro uxore ducēda. Alij ne nascatur proles, alij cōtra, ut prole abundant, ita non deo, sed mensibus tribuunt hominis creationem infelici insipientia, & tamen sunt libri his nugis referti.
- Vxor ducentia.**
- Sexto. Sacra illa cara, paschalis cerei, a multis furtim abscidit̄, nescio in quot & quanta uel maleficia, uel superstitiones.
- Cere paschalis.**
- Septimo. Sūt qui accepta aqua benedicta, cum preculis suis sperant se in fornicario ouum inuenturos, quod gestantes sint inuisibiles.
- Fur.**
- Octauo. Furem quærunt, dum suspecta nomina in chartulis inscripta, faciūt in aquam benedictam, ut cuius nomen in ima ruat, ipse sit fur quaesitus.
- Vxor ducta.**
- Nono. Vxore ducta, stultis obseruationibus intendunt, uter utri sit superuictur⁹, ut q prior obdormiat nocte prima, prior moriet̄. Itē uxor primo ingressu domus uiri sui, superius limen tēgat manu, adiunctis uerbis, quibus se dominā uiri diuinet. Secundum haec iudicentur similia, quanq̄ sint stulta magis q̄ mala, & ludus daemonum, ut dixi, uidetur, sed qui tandem in nimium serium uergat. s. ut assuescāt ijs minutis in creaturam confidere, & inde nec in magnis deo credant. Excusant se sane, quod sint sacra signa, sacraq; uerba, quasi non ideo magis sint accusandi, quod rebus, signis, uerbisq; dei, in re prophana & diabolica utantur.
- Illusio daemonum.**
- Virilis aetas.** Secunda est, Iuuentus, & eorum qui coniugio iam sunt astricti, ubi affectus prolis



prolis & rerū, mulierculas mire seductiles reddit in hoc opere diaboli.

Primo. Curare nituntur infantes superstitionis quibusdam ritibus. Nam sunt qui fascinosos curant pueros (quod malum apud nos frequentissimū est, adeo abundant pestilentes uetulae, & daemonum ancillae in hunc usum) ignoto quodā morbo, quem Teu. die elbe, uocant. His quidā sacerdotes & aeditui rustici/ni a magicis meretricibus edocti, literas scribunt pensiles ad collum. Sed nō cōmuni atramento, neq; papyro, nec omni die, nescio an & calamo & pulpito & loco usuali, habet em̄ res ea sua occulta mysteria; & fit tamē quod faciunt, quia credunt. Alij aliū morbum, quem Teu. das herzgespanst, id est, pectoris distensionem, quem eo probant argumento, s. si mensura a cubito ad cubitum, non sit aequalis mēsurā a poplite ad collum pueri. Deinde nescio quot modis murmurandi cingulo metientes, capitis dolorem mitigent, sic & alios omnium membrorum dolores. Hic ego uellem pueros intelligere, & loqui, ut matres suas, tam in signis stultitiae arguerent. Non em̄ est dubiū, quin resisterent, & sapientiores se matribus probarent.

Infantes non sūt remedijs superstitionis curandi.

Dicunt autē, Quis non misereatur infantis & filij uteri sui? Respondeo. Misereandum, sed non usq; ad seruitutem diaboli; uel naturalē quāre medicinam, uel deum exora in simplici fide. Cur eum quem deus creauit, diabolo seruandū & sanandum offers?

Verū deus ad tentationē incredulorū permittit talia fieri in infantibus, per maleficos, ut diaboli quārāt, qui deū neglexerunt. Neq; em̄ dubitandū est, infantium eiusmodi uexationes quandoq; non esse naturales, sed daemones per maleficos adiurati, ita cruciāt parētes eorū, occulto dei iudicio, sed iustissimo, ut probet fidem, uel illorum uel aliorum, aut utrosq; puniat.

Secundo. Patres insufflāt paruulis in palatum, uel guttur, nescio quo morbo laborantibus, adducunt autē uerba ad adiurationem idonea septem uicibus.

Tertio. Qui pecora signant atq; sic seruāt a lupo, peste, aqua, igne, quin totā ciuitatē uel domū ab incendio possunt ita seruare? Infelix lupo, iuste queri potest, portioem suam a deo datam, sibi ereptam per daemonum foederatos. Si Iob ita fecisset, sua pecora seruasset, sed non a deo laudatus esset.

Pecora & fruges signātes, ut seruentur a lupis.

Quarto. Eadem religionē fructus in agris & hortis cōsignant, adeo stulti, ut qui imbrem & incrementum ex deo acceperunt, custodiam ex diabolo petant, uelut contra deum pugnantes, ne auferat quod dedit.

Quinto. Ignem & aquam, item serpentes nouerunt adiurare, ne pecori nocent ullo modo, id est, ut res eorum non sit subiecta deo.

Sexto. Infirmi dū uouent sanctis uota, deinceps peccatū putant medicinis uti ut scilicet tentent deum suis stultis uotis. Atq; si qua mulier inuncta fuerit olei sacramento, eā per annū non nisi nigris uestibus oportet uti, n saltō are in chorea, non dormire cū marito. Adeo diabolus familiare habet organū, sexū istum foemineū, ut ipsum in sua sacra asciscat, per ipsum suas leges dicat, suas superstitiones seminet, per omnia contrarie deo, qui sacra & sacerdotiū & uerbū suū uiris imponit. Verū longe praualet sacerdotiū istud muliebri, repleuitq; has terras innumeris superstitionibus, benedictionibus, documentis friuolis. A quibus longe plus timēt q̄ a legibus & sacris sacerdotij uirilis ac diuini.

Septimo. Huc pertinent, qui ominationes, auguria, ut crocitatū coruorum & aliorum, Gentilium portentorum reliquias uel exempla, obseruant.

Auguria. Omen. Dies Aegyptiaci luduntur, qui seruatur a paucis.

Octauo. Qui dies Aegyptios obseruant, in profectionibus, in reditu, in aedificijs, in negocijs, in uestibus nouis induendis. Hi si sic crederent, quod ignis in

O iij hyeme



Venarū inci-  
sio non fiat iu-  
xta Lunatio-  
nem.

hyeme gratior est q̄ in aestate. Itē quod in aestate cōuenit fœnum facere, fruges colligere &c. recte crederēt. Aut quod omne mane bonū sit exire, si quis sanus sit, & necessitatem haberet: malū autem, si egrot⁹ sit. Quid enim aliud meretur ill⁹ lusor ille diabolus, q̄ ut rursū & nos eū rideamus? His non longe iunguntur qui incisionem uenarū, ablactationē puerorū, salubritatem balnearū, & opportunitatē seminandorum, non ex humorū & calorū opportunitate, uel corporū necessitate, sed ex influētij⁹ planetarū & stellarū, nos docent. Cū optimi medici doceant, necessitatem hīc esse unicā regulā. Nisi forte parant nos fame occidere, dum nō permittunt nisi paucis diebus nos seminare. Sed bene habet, quod ista nugā a nullis uel paucissimis ( deo melius cogitante pro nobis ) obseruantur.

Astrologia  
uanissima illu-  
sio, quae se  
scientiae frige  
stella nulla  
praetendit pec-  
catorem.

Nono. Sequitur laeta illa Astrologia seu Mathematica, quae ualde cupit esse scientia, sed non potest stultitiam ingenitā exuere. Haec est quae nos docet, quis qualis, quantusue sit futurus, quisquis natus fuerit in horoscopis signorū, consiliarij scilicet diuini secreti, nec angelis noti. Vnum ego miror, quid nam illis acciderit, ut nō inuenerint stellā quae portendat, quis iustus, quis peccator sit nasciturus. Quādoquidē suos horoscopos maxime in hominibus ualere uolūt, tū non est res tam parui momenti, iustitia, peccatū, ueritas, mendacium, sed ne tā rara, q̄ sit balneator, cātator, trapezita, piscator, orator, amator, q̄ suos habet horoscopos. Cur ergo nullū ibi iustitiae & ueritatis signū? Aut si est, cur nūq̄ sortitē effectū? Siquidem omnis homo nascitur peccator, mendax, insipiens, licet nulla stella ad hoc fatum sit conficta, nec mutatur unq̄, nisi super coelesti gratia uisitetur. Aut est coelū adeo infestū & incuriosum iustitiae & ueritatis, ut uilissima balnea influat & ludos & Veneres, iustitiam aut omnino nesciat? Aut tam inuidus creator? qui nullū signum boni, sed tantūmodo mali constituit? quippe cū nullus homo nascatur bonus, sitq̄ natura sua cū influentij⁹ perseveraturus malus. Hos ego inter subtiles fatuos numerassem, nisi rudibus essent rudiores.

Subtiles fatui.

Sed pulcherrime soluunt obiecta, dicentes, Influentia non necessitat, sed inclināt ad peccatū &c. quasi non sit idipsum impijssimū sentire, qd deus fecerit creaturā ad inclinationem peccati, & nō potius ad erectiōnē iustitiae, ut omnia cooperentur in bonū, non in malū, hominibus; Aut quasi ullus hominū necessitate cōpulsus peccet, & nō potius semper inclinatione. Quis inuitū dicit peccare? Omnis mala inclinatio, non extra nos, sed in nobis est. Sicut ait Christus De corde exeunt cogitationes malae. Non quod intrat in hominē &c. Et B. Iacob. Vnusquisq̄ tentatur a cōcupiscentia sua abstractus & illectus, quae non facta, sed origine peccati uenit. Omnia em̄ quae fecit deus, bona sunt, ideo ex natura sua non possunt nisi ad bonū inclinare. Quale est unūquodq̄, tale & operat. Quod autē ad malū seruiunt, non est natura, sed iniuria eorum; sicut Paulus ait: Omnis creatura subiecta est uanitati nō uolens. Illi autem naturā eorū faciunt uanitatē, uolentes ex institutiōe dei illa habere, ut ad peccādū inclinēt. Cur ergo Adam & Heuam ante serpentē nō inclinauerunt? cur non Christū? cur nō Virgīnē? Pereat ea blasphemans impietas. Vox illa, uox patris Adam est, qui & ipse suā inclinationē ad mulierem transtulit, id est, creaturam dei, dicens, Mulier, quā mihi dedisti &c. Verū q̄ egregie mihi obstarent, si ullum sanctorū uel martyrum his usum esse, aut scripsisse, aut approbasse possent ostēdere. Nunc autem non modo non approbauerunt, sed etiā reprobauerunt, preferim B. Augustinus in multis locis, tum B. Grego, Et tamen inuenit ista languidula insipientia languidiores qui credant.

Inclinatio  
mala in no-  
bis est, nō ex  
astrorū in-  
fluxu.

Abraham



Abraham, inquit, docuit Aegyptios Astrologiam, ut testis est Ioseppus, quasi Ioseppus nusquam excesserit uerum, praesertim tam anhelus Iudaicae gloriae appetitor. Abraham sine dubio docuit Aegyptios deum colere, & ueram dei sapientiam. Sicut & de Ioseph dicitur Psal. ciii. Ut erudiret principes eius, & senes eius prudentiam doceret. Non est credendum, sanctos illos uiros, nec astronomiae, multo minus astrologiae operam dedisse, quae iuuentutis sunt studia ociosa. Sed Ioseppus uides huius scientiae opinionem apud Graecos extolli, & in gloria esse, fingere uisus est uoluisse, quod etiam in hac re Iudaei Graecis non impares, sed superiores essent, quod in omnibus alijs quoque facere conatus fuit, quae ad uanam gloriam pertinent.

Abraham non docuit Astrologiam.

Deinde est mirum daemones non fuisse aliquando mutatos, qui tot seculorum influentibus subiecti, tum propiores quam nos, utpote in aere habitantes, sunt. Non autem uenisse stellarum influentias super eos, aut easdem stellas eodem modo eis fulsisse, absurdum uidetur. Manent enim obstinati in sua puerilitate, nec ullo signo mutantur, cum nostrae animae breuissimo momento influentiarum mutari dicantur.

Astra daemones non mutant, sed aetas secundum Astrologos.

Ultimo. Quid ad Moysen dicemus Deut. iij. Ne forte eleuatis oculis ad caelum uideas solem & lunam, & omnia astra caeli, quae creauit dominus deus tuus in ministerium cunctis gentibus &c. Si in ministerium, quomodo in dominium? At subtiliter euadunt, dicentes autoritate sui magistri Ptolomei, Sapiens dominatur astris ideo praeuenire & impedire potest influentias stellarum. Ergo non sunt in dominium sapientibus, sed insipientibus tantum. Quid autem Moyses? cunctis, inquit, gentibus in ministerium. Si cunctis, ergo uel cunctae gentes sunt sapientes, & ita dominantur astris omnes; uel aliqua tantummodo sunt sapientes, & fiet, ut non cunctis gentibus sint creata in ministerium. Vel Moyses uerax & tu mendax. Ut omittam quod si etiam uere sapiens esset dominus astrorum, nihilominus falsum dixisset Moyses, utpote quod astra non ministrant sapientibus etiam, sed magis impediunt ita ut nisi illi sapientia praestarent, non possint eorum fata uitare. Non ergo in ministerium, sed in bellum sapientibus, & in dominium atque tyrannidem insipientibus dicenda fuissent stellae creatae. Quod est & Moysen mendacium arguere, & deum crudelitatis accusare, omninoque blasphemare. Sed haec alij latius tractarunt. Sat sit indicasse uanitatem hanc prohibitam. Hicere, x. Iuxta uias gentium nolite dicere, & a signis caeli nolite metuere. Solus enim deus timendus est in omnibus. Cetera omnia ut ministeria in bonum electis cooperantia esse, debemus intelligere.

Sapiens dominatur astris.

Astrologia prohibetur.

Tertia aetas proprie est uetularum, aut similia illis operantium, ut qui cum daemionibus paciscuntur, de quibus passim habetur notitia.

Primo. Maleficijs possunt oculos laedere & excacare, corpora infirmare, sagittare crura, imaginibus deuouere, & prout libet uel occidere, uel lenta & incurabili plaga tandem consumere; ut uidi plures talia passos.

Maleficia quae dicuntur uel culae inferre.

Secundo. Possunt tempestates, tonitrua concitare, perdere fruges, occidere pecora item butyrum, lac, caseum alijs furari, id est, ex poste, uel bipedem, uel mantili mulgere.

Tertio. Huc pertinent, qui scientiam quaerunt per artem Notoriam, de qua in iure factis dicitur. Item qui occulta quaerunt per crystallum, unguem, uel eburneum capulum tamen prius consecratum. Nec id possunt, nisi puellae uel pueri uirgines, in circulo inclusi, ne desit species bona pessimo illi operi. Dicitur tamen huius inspectionis mysterium fallacissimum esse. Huius generis sunt, qui uirga diuinationis, occultos quaerunt thesauros. Maxime autem ij, quos uulgo uiros & mulieres sapientes (id est, Magos & Pythonissas) uocant, quorum oracula ex diuersis, & longinquis locis petunt, si quis aliquid amiserit uel quodcumque passus fuerit,

Diuinae artes uariae.

Virga diuinatoria.

O iij cuius



cuius ignoret autorē. Mirū hos ab episcopis pmitti, ipune talia publice audere.

Quarto. Creditur a multis quod equitet super scobam, alij super hircum, alij super alias nugas, ad quēdam locum, ubi ad conuiuium conueniāt eius myste-  
rij confortes; quod non solū prohibitum est fieri, sed etiam credi uerū esse, ut in-  
fra latius. Sicut & illud, quod uetulae mutantur in feles seu catos, & nocte uagē-  
tur, prohibitum est credi uerum esse.

Hulde regl/  
na noctu ob  
ambulans.

Quinto, dicitur apud aliquos, quandā dominam alios Herodiadē, alios do-  
minam Hulde, alios Venerem, per annū circūuehi, ac uelut lustralē Februum  
peragere, quae hospiti-  
bus suis relinquat, uel carbones, uel quisquilias currus sui  
quae postea inueniuntur esse aurum & argentū, ut etiam in latina lingua sit pro-  
uerbium de carbonibus & atro, hinc forte natum.

Lares famil.

Sexto. Habent quidam domesticos quosdam daemones, uelut Lares familia/  
res olim habebantur, qui aliquando per diem apparent, Hos uulgo uocant alij  
uichtelen, alij helkeppelin. Et creditur domus fortunatissima esse, quae talibus  
daemonum illusionibus occupata fuerit, & plus timēt offendere eos daemones,  
q̄ deum & totum mundum.

Sacerdotis  
occurfus ma  
le ominis cre  
ditur.

Septimo. Aliquae ut diabolus inueniant, ecclesiam circumeunt uersis uesti/  
gijs, & contra q̄ solitum est fieri. Et inuento illis obuius, sese tradunt ei in pactū  
Ex horū genere esse putandae sunt, quae malū omen esse putent, si mane obuiū  
habuerint sacerdotem. signant em̄ sese cruce, ne mala eius diei incurrāt, quae pri-  
mo occurfus sacerdotis sibi portendunt, magistro diabolo, futura.

Octauo, sunt Incubi & Succubi daemonum, de quibus latius statim.

Verbena cō/  
secratur.

Nono, etiam usq; ad sacramentorum iniuriam proficit ista nequitia Satanae;  
Sunt em̄ qui baptizandis pueris uerbena, caseum, nescio deniq; quae nā alia al/  
ligant. Et quidem uerbena illa, nominatissima est superstitionum ministra: mi-  
ris ceremonijs hanc effodiunt, deinde consecrari faciunt. Et horrenda temerita-  
te tot nomina dei & sanctorū super eam inuocant, scilicet ex aliquo Iudeo pra-  
estigioso seducti.

Mēstrua mu-  
dār, ut illiciāt  
amorem.  
Pueros co/  
quūt, ut pin/  
guiores fiāt.

Omitto hic mēstrua mulierū, quib<sup>9</sup> aliquae philtia infani amoris, saepius mor-  
tis conficiunt. Aliquae in cibum porcorum miscent, quo saginentur felicius.

Omitto quod infantibus, tabe uel macie laborantibus, ita solent consulere, ut  
positus in caldare, igne supposito in aqua calida modeste coquāt, alia foemina  
astante, alia circum domum ter currente, & per foramen interrogante, quid co-  
quis, illa tū respondente, coquo carnem ueterē, ut nō oua fiat. Item, quod abla-  
cta eos eo periculo timent relactare, quod pueri exinde sint futuri maledici, & lin-  
guae malignae.

In partu mu-  
lierū supstiti/  
osa q̄dā fiūt.

Omitto monstra quae agūt in periculo partus. Religiosissime legendā S. Mar-  
garethae legunt, & ipsi passioni Christi praefereunt, Alia femorale uiri, parturien-  
ti in collo suspendunt, alijsc; nugis delirant.

Sunt praeterea stultae quaedā, quae cū iocose aliquoties dictū audierint, si quid  
amiseris, & repire uolueris, da eleemosynā calidā, scilicet similā, et pone salē bñ  
dictū desup, & mox inuenies. Quod ille Iudēs sic uoluit intelligi, pone salē desu-  
per, scilicet sup rē amissam, & inuenies. Illae uero intelligunt super similā. Non  
qd̄ haec magna sint, sed qd̄ indignū sit, diabolū sic eleemosynas & salē bñdictū  
in ludibriū uertere. Eiusdē sapientiae mulieres sunt illae q̄ simili ioco illusa, fron-  
des illas, q̄ in die sancti Marci, p̄ uia p̄cessionis p̄stratae fuerūt, accipiētes, sup sa-  
ta pisorū & fabarū uerrūt, scilicet qa dicit, qn̄ talibus frōdib<sup>9</sup> uerrunt fata, salua-  
erūt, ut gallinē, aut uolucres coeli ea nō tollāt, No intelligētes, qn̄ (id est, eo tem-  
pore

Mulieres sup  
stitiosum ge/  
nus.



pore quo) uerrunt, non facturas id uolucres. Et quis huius seductilis sexus omnia ludicra, ridicula, falsa, uana & superstitiosa recenseat? Ex prima Heua eis in genitum est, falli & ludibrio haberi. Ex ijs similia pensentur. Sed quia sunt qui horum aliqua fieri posse non credunt, alij nimis credunt, ideo parumper de ijs uidendum.

Primum. Non credunt aliqui posse Magas & Phytionissas istas tantū, ut tempestates cōmoueant, corpori noceant, pecoribus, rebus, filijs malū inferant &c. Habentes hanc suae sententiæ causam, quod non credunt eas in creaturis dei habere tantum potestatem, nec dæmonibus tanta a deo permitti. Et tamē cum sic omnia a deo inferri credant, non ad deum confugiunt, talia quaedam passi, ideo persuadendi sunt ut sciant dæmones talia omnino posse, permittēte deo. Quod ex scriptura satis probari potest.

Dæmones permittente deo nocere pnt.

Primo, Iob. j. Vbi ignis de cælo cecidit, & pecora cum seruis occidit. Et uentus irruit, & domum euerit, filiosq; eius oppressit. Item tādē in corpore eius percussit ulcere pessimo. Nouissime autē in anima eū tentauit, grauissima desperationis tentatione. Et tñ textus ibi clare exprimit utrūq; scilicet qd diabolus hæc operatus fuerit, accepta licētia a deo. Et quod deus hæc eadē fecerit, sicut ibidē dicit. Ignis dei cecidit de cælo &c. & ipsemet infra; Dominus dedit, dominus abstulit &c. Cum tamen dominus ibi dicat ad diabolum: Ecce in manu tua sunt omnia quæ habet, & ipse, Tantum ne in animam eius extende manum, Si ergo ignē & fulgura de cælo potest Satan facere, & tanta mala facere, deo permittente, cur non & nunc idem non possit, ad pactum suum adiuratus?

Iob.

Secūdo. Aegyptiorū plagas per angelos malos esse factas, testat Psal. lxxvij. Misit iram & indignationem, immisiōes per angelos malos. At illę plage fuerunt maiores, qm̄ nunc faciunt ullæ malefica.

Tertio. Quot obsessi recitatur in euangelio? quot animas quotidie occupat erroribus & peccatis? An minus est animam immortalem perdere, qm̄ membrū moriturum aut aerem uexare?

Quarto. Nōne omnes sanctos martyres ipse persecutus est & occidit? Deniq; ipsum dominum assumpsit, & de deserto in mōtem, de monte in pinnaculum templi transtulit. Item cum Michaelē & angelis eius pugnat.

Quinto. Passio Christi hæc omnia fortius probat, Si enim filius dei tanta sustinuit a dæmonibus & membris eorum, quid mirum, si horrea nostra possit destruere, & membra percutere, eadem permissione dei?

Sexto. Illud uide, quomodo deus dat tā multis malis hominibus potestatem abutendi rebus, diuinijs, potestate, domino, in aliorū perniciē & suum peccatū multo magis dæmonibus permittit rerum abusum contra nos, siue ut puniat, siue ut erudiat nos. Veram est autem, quod sine dei permissione nec folium arboris mouere possit, quia ut Christus ait, Sine uoluntate patris sui, nec arboris folium cadit in terrā. Ideo Christianos oportet nosse hæc mala per dæmōes & magas suas quidē inferri, sed tamen a deo sic ordinari. Bonū facit deus per seipsum malū per malos. Vnde Iob (ut B. Aug. ait) non dixit, dominus dedit, diabolus abstulit, sed, Dominus qui dedit, idē abstulit. Sed de ijs latius infra.

Dæmoni cōtra nos multatā permittitur

Secūdū. Nimiū credūt, qd uetulas mutari in catos posse credūt, aut quascūq; alias formas, & ad cōiuiua uehi nocte. Et ad hoc est exp̄ssus textus. xxv. q. vi. c. Nec mirū, ne ullus credat. Sūt em̄ illusiōes diaboli, non aut res uera. Sicut pulchre patet ex qdā exēplo, qd Io. keyl. recitat, qd quēdā uetula ut p̄dicatōrē argueret mē daci, qd talia docuit esse falsa, sero eo uocato, & i oculis ei⁹ sese unges, sed cō in

Mulieres in catos nō uertuntur.

Io. Geilerus

linre



Intre pistorio, iamq; uolens uehi, ecce statim obdormiuit, & quibusdam gestibus mouebatur, donec caderet de scamno, & uulnus in caput acciperet; tandē reuerfa ad se, conuicta est de illusione ex uulnere & casu, quantumlibet uidisse se iactasset mirabilia sua.

Præstigiæ  
fiunt.

Idem patet ex Vitis patrum, de uirgine a parentibus ad S. Macariū ducta, quæ ab eo uisa est esse puëlla, cū alijs uacca uideretur. Et tales præstigiæ plures hodie quoq; fiunt, ut ille qui iudæo debebat, & dormiens, passus est sibi crus totum a corpore rapi, ut iudæum confunderet. Idem de monacho quodam refertur, qui plaustrū sceni prope consumpsit &c. Multa de ijs ubiq; referuntur.

Potest em̄ diabolus se mutare de persona in psonā, & miris modis ludere sensum, de q̄ in legenda S. Martini. Vbi un<sup>o</sup> oīm sensus illufit, cœleste quadā ueste a diabolo sub nomine Christi donatus. Simile de quadā moniali, quæ in suo cubiculo sedens, uisa est ab alijs laciniato pallio seminuda, & bubalo stercore caput uelata, quæ tamen sese credebat in fulgentissima ueste ac aurea corona sedere, a Christo decorata. Item & illud in legenda S. Andreæ, quomodo in forma speciosæ mulieris tatum uirum illufit. Item de equestre illo, qui sero in hospitium ueniens, iucundo conuiuio inter puellas & choreas & epulas sibi uisus, mane iacuit in profundo luto, & equus eius ad arborē ieiunus ligatus. Sed omnium efficacissimum est, quod in legenda S. Germani Altisiodorensis episcopi legitur (uide Catalogum sanctorū li. vi. c. ix.) Cū em̄ aliquando hospitatus fuisset & iam dormituri adhuc mensam pararent suis (ut requisiti ab eo dicebant) uicinis in nocte futuris. Tandem ille uenientes adiurauit, excitato patrefamilias cum suis, percontatus an nossent istos: illis uero asserentibus iussit, ut ad uicinos irent uidere, an domi essent; & inuenti sunt omnes dormientes in lectis suis, & sic euidenter illusio dæmonū & patuit & disparuit eo iubente.

Mulieres in  
sp̄ carorum  
uulneratæ.  
sunt aliquā.

At ut contentiosis quoq; satisfaciam. Dicunt enim mulieres in catos fuisse mutatas, eo argumento uerum esse, quod quidam audaculus in uacua domo dormiens, plures uulneratæ tales catos, mane aut factō, multæ uetulæ sint in uentæ sic uulneratæ. Vel enim id fictū est, uel dæmones uere uetulas ipsi uulnerauerunt, ut rei mendaci fidem faciant, ac si uere uetulas ille uulnerasset, qui catos (id est, dæmones) uisus est uulnerare; potest in q̄ fieri, ut uetulæ in somno, uel extasi discurrere, uulnerari sibi uideantur, cum tamen in lecto iaceant quietæ & uere uulnerent a dæmonibus, ut postea credant sese uere discurrisse, & ab alio uulneratas esse. Tale est quoq; de equitando super scopam.

Incubi & succubi  
sunt dæmones.

De Herodiade & Laribus satis manifestum est, scilicet esse dæmones. Tertio de Incubis & Succubis tradūt insignes autores, quod potest Satan in specie mulieris succubere uiro, & accepto semine, rursum incubere foeminæ, & ita generare. Sic em̄ sollicitauit quēdā eremitam usq; ad obscenitatē, & postea euauit, ut recitat S. Ioan. primus eremitarū apud Hieronymū. Quin dicit, quā doq; diabolus in specie infantis fuisse, & uix quinq; nutrices ei satis fuisse.

Supstitiosum  
q̄ i pallio q̄  
uehatur.

Quarto de ijs qui uehuntur pallio prope dubito, potest fieri ut uehantur paruo spacio, nescio an in longinquo, saltē tam breui tempore, ut dicitur. Hoc scio etiam, si non uere uehantur, posse eum ludere omnē sensum, ut ille qui uehatur sit quietus, & tamē existimet se uehi ad dominam suam, atq; cum ea omnia peragere; quæ tamen mera sint phantasmata.

Cibos arte  
dæmonis af  
ferunt.

Simile iudicium mihi est de asserentibus a longe cibos, & potus, nec obstat quod postea agnoscat uere loca, ubi fuisse se dicant, quia potuit similes species sensibus ingerere.

Sic



Sic etiam de ministris quos adducit, cuius id indicium uidetur, quia non permittitur aliquis eos alloqui, ne uidelicet euanescant sicut fumus.

Ultimo de ijs, quæ in crystallis uel ebore uel ungue uidentur, certum est esse præstigium diaboli, figuras fingētis in crystallis, quantum sibi permittitur; nō enim semper nec coram omnibus id potest, ut satis compertum est.

Sed ex ijs cætera iudicentur. Infinita eñ sunt, & quotidie augetur eiusmodi portentorum genera, defectu operariorum in uinea domini.

Hæc aut omnia faciliora & leuicula sunt apud diabolum, puta quibus carnes os sensus & phantasias illud t, infimas partes hominis. Sed maiori subtilitate, ut & maiori piculo illud mētibus & intellectibus. Et quanq̄ sunt plurimi, quorum sensus illusionibus eius patent, tamen multo plures illud mente, scilicet doctos in scripturis, sanctos in operibus, ita ut ab Apostolo proprio titulo insigniatur, Corruptor mentium, sicut Heuam seduxit astutia sua, adeo ut in angelum lucis sese transfigeret. unde & B. Ambrosius ser. de pont. Supplantatores inuisi per omnes uias extendunt laqueos, innumerabilibus mortibus expauescendos, Animalia pusilla cū magnis, & reptilia, quorum non est numerus. Ita ut impossibile sit ullū hominē esse tutū in quocūq̄ opere, sensu, intellectu suo, nisi qui assidue sibi ipsi suspectus timet in omnibus, & cū lob omnia opera sua ueretur. Sed heu & prochdolor, q̄ securi sumus hodie tam infimi q̄ summi, docti & pariter indocti, tāq̄ diabolus sit mortuus, adeo ut p nostris opinionibus etiam eruentissima geramus bella, aut sine fine litigemus & contendamus. Sic meruit iniquitas nostra, ut in sensum reprobum traderemur. Igitur de rudioribus & sensualibus hæc sint satis. Sequitur aliud genus transgressionis, nempe eorū, qui specie bona illudunt. Quorū rursus duæ sunt species. Altera eorū, qui circa reliquias & uenerationem sanctorum excedunt, Altera eorum, qui sapientia & iustitia propria superbiunt contra deum.

De priore, prius.

Duobus modis colunt a nobis, & inuocantur sancti, Primo ppter temporalia & corporalia dūtaxat. Et ij false colūt sanctos, immo magis seipsos in illis, q̄ sua quarunt, nō ea quæ dei sunt. Ac ideo sanctos prope in idola sibi transformant. Hos sanē B. August. non penitus reiicit, sed ita duntaxat cōmendat, ut eos meliores asserat, q̄ eos, qui per pacta diaboli temporalia quarūt. Melius est enim etiam temporalia a deo petere, q̄ a diabolo. Sed per hoc non sunt commendati immo nec Christiani. Modica laus est, immo magnum uituperiū, non esse bonos, nisi pessimis omnium comparentur. Et tamen deus, qui dat etiā pullis cor uorū escas, in hoc cultu eos exaudit, & largiū petita, ut per scripturā probatur.

Primo per Naaman Syrum toti Syriæ salutem dedit, licet ille esset Idololatra, tamen magnus apud regem Syriæ.

Secundo, Samaritani ubi cœperunt deum colere, simul cū dijs suis (quod impossibile est placere deo) liberati sunt a leonibus, quibus deuorabantur.

Tertio, Achab & alijs multis regibus Idololatriæ & malis dedit multiples uictorias, & beneficia propter aliqua opera externe hominibus apparentia.

Quarto, B. Aug. li. j. ciui. viij. differit Rhomanis concessum a deo tā ingens imperiū, ppter insignes quas dē eorū uirtutes, cū tñ deo placere non potuerint, sed apud hoīes id tantūmodo merebant. Quinto, Iudæis solo timore pœnæ peccatum uitantibus sæpe pepercit, licet essent populus semper errans corde, & displicens deo.

Sexto, & nūc quoq̄ pestes, bella, fames sapi<sup>o</sup> auertit deus ppter emendā solo timore

Ministri dæmonum sunt illusiones. Imagines in crystallo non oibus nec sp̄ apparent.

Diabol<sup>o</sup> etiā menti illudit.

Illusio specie bona fit duplīciter.

Sctōs colentes ppter temporalia paulo meliores sunt illis qui pro pecunia cū diabolo paciscuntur.

Sctōrum etiā in ept cultores exaudiuntur.

Achab.



**P**nia coacta timore inceptam, cum tamen non placeat deo coacta poenitentia, quae minus  
sepe exaudi est q̄ dimidia poenitentia; quod sane patet, quia remissa plaga, mox redeunt ad  
tur adeo. ingenium & mores priores, immo peiores. si omnes sicut deum colunt & bene  
uiuunt propter temporalia, ita receperunt mercedem suam. Ita & cū sanctis dei  
agimus, quos non ultra colimus q̄ pes aut caput dolet, aut marsupium eget. Et  
Falsum cultū deus in suam quam uertit. quam hęc sint nobis inutilia & stulta apud deum, nec deo, nec sanctis placita  
tamē profunt ad gloriam dei, qui ex omnibus potest elicere bona. Cuius deniq̄  
naturæ est, etiā stultis, immo inimicis & blasphemis benefacere, plure sup gra  
ros & ingratos; ut eo ipso nos doceret, hęc non esse ea, propter quæ sit colendus  
ipse uel sanctus quisq̄, cum uiderimus ea non rogatum neq̄ cultum pessimis  
quibusq̄ copiose largiri.

Atq̄ quo hęc clarius intelligantur, aliquot enumeremus sanctorum, quorū  
superstitiosus cultus omnibus notus est.

**S. Anto. non deū inuocant** Primus est S. Anto. qui pro igne sacro a multis, alioqui nunq̄ cognoscēdus  
colitur, & ita colitur, ut eo prope uentum sit impietatis, quod ipsum sanctū ui  
rum posse credat suis uiribus seu dono sibi a deo collato, istas curatiōes tribue  
re. Adeo. nō a deo per intercessionem sancti Anto, sed uelut ab ipso solo Anto/  
nio petunt quod uolunt, nihil memores intercessionis. Deinde hanc gratiā cu  
rationis ita apud hunc solum querunt, ut aut nescire aut non credere uideantur  
deū posse idem per quemlibet alium conferre. Interim aut nullus plane auditur  
qui ida B. Antonio imploret, ut & ipse mereatur lætitiā spiritus, ceterasq̄ uir  
tutes Antonij imitari; de quibus tamen in legenda eius memoria est, nihil pror  
sus de igne.

**S. Sebastia. S. Martinus.** Secundus est sanctus Sebastianus, unus omnium, qui propter pestem colitur,  
nisi quod nuper locum admisit S. Martinū, & S. Rochiū, non ingratae prorsus  
uitæ & autoritatis. Horū triū sanctimoniam & fidem, prorsus nemo est qui cu  
ret postulare. Et sane ut & ego ineptias suspicionis meæ effutiam, uideri potest  
nonnullos sanctos mera nominum allusione præ ceteris in hęc officia inuoca  
tos. Siquidem S. Tonij Italica allusione prope sonat, ac si sanctus ignis, id est sa  
cer ignis diceret: quasi is propter nomen suum, sacro igni sit remediabilis patro  
nus; quo modo & Gentiles Rho. Febrem & alias allusiones rerum, dijs tribue  
runt. Sic & Sebastianus sanct pastian, quasi pro peste, idem ualeat solus; cum ni  
hil in eorum uita de pestilentia legatur. Vnde & in Italia, ij duo præ ceteris nō  
Itali superstiti  
tiosissimi. secus honorantur, ac si inter gentes uideres numina læua placari.

**S. Rochius.** Iam sanctus Rochius nomen habet, quod Germanice uindictam sonat, &  
iram, quasi ipse ideo utilis sit uindictam dei auertere, quia Rochius uel uere uo  
catur uel fingitur. Huius tamen legenda, si recipitur, talia quædam narrat

**S. Valenti.** Tertius Valentinus, morbi caduci prefectus, quem cum nihil legimus egisse  
cum hoc morbo, prope iurarem ex allusione Germanica, eum in huius auxiliij  
sortem uenisse. Nam cadere uallen significat, quod ad Valentinum q̄ proxi  
me alludit. Nec mirum cum & sanctum Vincentium superstitiosæ mulierculæ  
**S. Vincen.** deputauerint rebus perditis inueniendis, eadem ductæ allusione. Germanice  
enim inuenire, uinden dicitur; Atq̄ ideo Vincentium seruū perditarum rerū &  
custodem constituerunt.

**Cultū uanū pmittit eccle/ sia & Chri/ stus.** Nec est magnum, nec mirum, quod deus hęc fieri permittit, & continuus ad  
huc beneficijs eadē prosequitur, & ecclesia similiter approbat, præsertim de S.  
Antonio; quia, ut dixi, deo parum cura est de ijs tribuendis, quæ etiam hostib⁹  
tribuit. Et sinit uel stultos uel infirmos in fide, interim istis gaudere bonis, dū  
non



non sunt melioribus digni, uel donec meliorum capaces fuerint.

Quartus est Christophorus, ex legenda non tam apocrypha q̄ suspecta, tantum tamen habens honoris ut nullus Apostolorum sit cum eo, conferendus, etiam si in media Biblia eius gesta scribantur, nec tamē ideo honorat, quod hominibus remissionem peccatorum, & fidem gratiamue dei impetret, sed sicut extant uersiculi hoc cultu dignissimi.

S. Christophorus.

Christophore sancte, uirtutes sunt tibi tantae,  
Qui te mane uidet, nocturno tempore rider,  
Nec Satanas caedat, nec mors subitanea laedat.

Primum, uide ut hic impius uirtutes tantas, non deo, sed imagini lignae & pictae tribuat, non saltem fidei tribuit, quae sola facit, si quid impetrant sancti, ut accipiamus.

Secundū, uellē doceri, qua scriptura, quibus miraculis probatū sit, id posse imaginē Christophori praestare. Ita sub pietatis specie, dū sacerdotiū ecclesiae dormit, aut lucris inhiat, ingressum est ingēs pelagus superstitionum, nemine prohibete.

Ep̄os & sacerdotiū negligentia.

Tertium, cur pouissimū uesperis ridet, qui mane spectauerit? Quid si uesperis spectaret? Adeo ne uirtutem suam matutinae inspectioni alligauit, ut qui mane fuerit oblitus aut tardius uenerit, quocumq̄ deinceps diei tempore spectauerit, frustra spectauerit?

Quartū, cur nō qui fidem tuā imitatus fuerit, semper ridebit? Qui passus fu- erit tecum, tecum gaudebit? Sed absit ut imitari uelint, qui illa quærunt. Absit etiā ut illa quærant, aut ita quærant, qui imitari nolunt.

Quintum, cur nō crux Christi inspecta facit ridere inspectores, quae habet auctoritatem scripturae? nisi melior forte imago Christophori q̄ Christi, cum crux Christi ipsa sit uere sola quidam Christophorus.

Cruce Christi Christi Christophorus est.

Sextū, omniū pessimum, quod hac ratione homines plus diligunt, plus colunt, diligentius inspectant, plusq̄ in ipso confidunt, q̄ in ipsum Christum, ut ostendant se nō laudare deum in sanctis eius, sed seipso: quia nō gloriam dei, sed suum cōmodum, atq̄ id palam perfricataq̄ fronte plane cōfidentes se morborum gratia quærere. Melius erat sanctos imitando, subita morte praueñtū saluari, q̄ nō imitando naturaliter morientem damnari.

Uidetur & hic sanctus a militibus & nobilibus & generosis primo repertus quippe quibus in bellis mors subita, Teu. geende todt, est formidabilis, maxime repertis bombardis. At non cogitāt quod frequentius ibidem moriuntur stante morte, Teu. des steende tods, & nō solum des geende tods.

Septimum. Quod homines ex hoc securi quærunt esse, & sine timore dei uere, cum omnis cultura sanctorum pro timore dei sit instituta, ut homines ad poenitentiam prouocet, memoriam mortis suggerat, uitam futuram ostēdat. At illi solum ut fugiant hac & teneant illa. Quare dicendū est Christo, ut uerbum suum retractet, quādo dixit: Vigilate, quia nescitis diem neq̄ horā. Quia inuenimus Christophorū, qui pro nobis stertentibus uigilet, & integrū diem securi habeamus, nedum horā nesciamus. Quod si & Christophorus alium inuenisset Christophorū, quo inspecto & ipse tutus fuisset, ne deus eū percuteret, quomodo ad martyrium peruenisset? siquidem eo usq̄ tandem hac iam non infirmitas, sed impietas procedit, ut etiā deus suo imperio priuetur, ut qui inspectores Christophorinos nec aqua, nec igne, nec ulla creatura possit eo die occidere.

Sanctos cultus contra timorem dei.

Quintus est sanctus Laurentius, quem ut seruet domum ab igne, ieiunio

S. Laurentius primum

P



primum honorant, deinde in festo eius, nec scintillā ignis tota die in domo patiuntur: in alijs tamen domibus utuntur igne, quo cibos coquant. Ac sic non Laurentium, sed ignem potius timent & colūt. At forte tam stulti sunt, quod ignem S. Laurentio inuisum credunt, quia sit in illo adustus & tostus, ut ubi ignem uiderit, recordatus iniuriā irascatur in eos qui eum habent. Quod si ita esset, nullum Christianum liceret aliquo die ignem habere. An quia superauit ignem, ideo dominus ignis factus est? Quod quidem uerum est, immo & diaboli, peccati, mundi & carnis & omnium malorum. Cur ergo pro solo igne colitur? Aut cur non eundem colis, pro impietate & furore, ira, superbia, quibus in Decio & ministris suis operatibus, igne tostus est: quas denique superauit, & adhuc in te superare potest precibus suis? Sed haec etiam alibi quae in sancto Laurentio queri poterat: ideo sit ipse tantum ignis obseruator. Cui adiunctus est socius S. Florianus, & ipse ignota uita & nominis, nec apud ipsos ullo modo cognitus, quae quod in papyro uident eum pictum, effundere aquam in ardentem domum: hoc enim contenti sunt, quia & hoc solū in eo quaerunt.

Florianus ignora uita.

S. Vitus.

Reliquos breuiter transimus, Sanctus Vitus suam fortem habet in misera illa saltatione.

S. Erasmus.

Sanctus Erasmus auarorum patronus, sic tamen ut certo numero orationum & cereolis colatur, tum sane inundabit diuitias. Quid enim aliud ageret tam ociosus? Sed & S. Luduicus de ordine Minorum, quoniam semel cereuisiam curauit in uita, iam mortuo & beato, aliud agere non licet penitus.

S. Luduicus.

Sanctus Vuendelinus pastor, iam utilior est omnibus canibus aduersus omnes lupos. Et uiuus sua unius hominis pauit pecora, mortuus omnium cogitur pati scere.

S. Vuendeli.

Adhuc non pudet nos Christianos ita in sanctos partiri negocia rerum temporalium, ac si essent nunc facti serui, & mancipia artificum, ita ut prope redierit ea Lerna superstitionum, ut rursus Romanorum illud chaos deorum, & quoddam Pantheon, denuo extruxerimus: atque hoc ipsum non pro alia causa, quam ut hic tantummodo bene habeamus.

Sanctos facimus nobis seruos.

Iam aliquot etiam foeminas sanctas subiungamus, inter quas ut recentior si mul & antiquior, ita merito prior est S. Anna, cuius legenda cum sit dubiosissima, hoc tamen fuit & est nomine uel gratissima, quod noua uenit, quia fastidire coepimus uetera, & ea quae certissimam habent autoritatem. Sed multo gratior, quod non uenit uacua, sed diuitijs plena, nihil prorsus promotura, si paupertatem adduceret.

B. Anna.

Secundo, quod ipsa pene supra quae b. Virgo extollit, sic semper noua festa derogant pristinis, & extollimur recētia, magis ducti uulgi concursu, quam fideli deuotione. Tertio, quod planum & apertum est, eam coepisse coli propter diuitias ex apocrypha illa & uehementer suspecta legenda, ubi lusor ille depauperatus, rursus etiam de caelo, curatus est, ut diues fieret. Hoc enim solum in tota ista legenda notauit oculus nequam auaritia. Et ob huius sanctae matris festum, nunc omnium aliorum sanctorum festa, non nihil obscuritatis accipere necesse est, praesertim Apostolorum, forte quia paupertatem docuerunt. Atque utinam S. Annam ita pro diuitijs colerent, ut & alia quae spiritus sunt quaerent, quo modo ecclesia facit, ut collectae quas uocant eius diei ostendunt. Sed pro his credunt se satis multa festa habere, usque ad fastidium etiam iam diu frequentata.

Noua festa ueteribus preferuntur.

S. Annae legenda apocrypha est.

Secunda est sancta Barbara, ad cuius legendae similitudinem multae aliae fabricatae, ut Catharinae, Dorotheae, Margaretae. Eam uero qui religiosissime colunt, id quaerunt, ne sine sacramento moriantur: quod non adeo damnabile foret. Alij ne praegnans periclitetur in partu.

S. Barbara.

Alij ne praegnans periclitetur in partu.

Hæc



Hæc enim & alia legitur eadem S. martyr in trāsitu suo orasse, ut si quis eius memōriam ageret, hæc obtineret. Primum, omniū testimoniō, legēda illa & apocrypha est, & suspecta, præsertim cum scribatur fuisse discipula Origenis, & tantæ uirginis non meminerit Eusebius. Deniq; in legendā S. Catharinę multa esse uel intermixta, nemo nō sentit, nisi cui nullus est nasus. Id uero ego miror pro mea temeritate, an sanctæ illæ martyres pro Christo morientes, tantam arrogantiam uel habuerint uel simulauerint, ut optarint ab hominibus colari aut certæ fuerint futurum, ut colerentur. Sed & illud uide, ipse moriētes nō orant pro suis cultoribus, ut iusti & salui fiant, sed ut diuitias, sanitatē, securitatem, quæ omnia per mortem ipsæ contemnunt, obtineant; fortasse non eadem bona alijs prouidentes, ad quæ ipsæ iam pergunt. Inde nimirum factum est, ut memoria passionis Barbarinæ, & similitū diligentius peragat, q̄ ipsius Christi, quæ uirtus est omniū illarum passionum. Sed sine, cæci esse studio conamur, alioqui palpare possemus & agnoscere, quod hodie in ecclesia hi sancti plus habent honoris, quorum legendæ plus habent fabularum, aut læcri, aut cōmodi. Feramus ergo nos quoq; illorum infirmitatem, donec erudiantur & formentur in meliorem sensum.

Tertio, Sancta Iuliana & Othilia ophthalmicæ sunt, quia a nullis coluntur, nisi qui oculis laborant, nec plane propter aliud q̄ oculos; uolētes ex semel factō miraculo ius naturale, & infallibilem consequentiā facere, quod certe nō longe mihi a tentatione dei uidetur abesse.

Sancta Apollonia p dolore dentiū, ppetuo cultu honorat, atq; pro alio nullo. Annosam eius uirginitatē & ardentissimā fidē, nemo est q̄ meminerit.

Sancta Scholastica, domina facta est tonitruū. Et plane hanc fidem in mulierculis scio regnare, quod in quacūq; re audierint aliquem sanctū uersatū, hūc in eadem credunt plurimū ualere, ac uelut dominū constitutū. Et sacerdotes aliquot hanc superstitionē nō reprimunt, maxime si & lucrum odoretur.

Igitur sicut dixi, permittit hæc deus, & largitur ea quæ petuntur, nō quod magna sint, sed quia bonus & clemens tam infirmos ita fouens, q̄ indignos ita remunerans; quorū ignauus animus nescit meliora & æterna petere, quæ uerum deum decet & delectat peti & largiri. Nam qui rite deū & sanctos colunt, quærentes primo gloriam dei in illis, & imitationē, sicut facit ecclesia in suis collectis, talia nō petunt, immo si habent, auferuntur ab eis, ut sola sapiant spiritua lia. Nec meliori signo cognoscunt & discernuntur, ueri cultores a falsis, q̄ si illis auferantur, istis conferantur copiæ temporalium. Sicut enim deus iustitiæ exteriori confert exteriora bona, & aufert interiora; ita iustitiæ interiori cōfert interiora, & aufert exteriora. Quod in omnibus sanctis patet, quibus si non in effectu, tamē in affectu abstulit temporalia. Ideo licet tales nihil mereantur in celo, tamē merētur in terra. Et in hoc bene faciunt, quod non a diabolo hæc petūt. Sic enim & sacerdotes & religiosos multos, pinguiter & suauiter pascit, qui tamē in tota uita nihil agunt, q̄ quod horas canonicas & frigide & inuite legunt semper, & orant nunq; in quo ut sibi satisfecisse uidentur deo, ita deus sibi quoq; satisfecisse uidet, si eos uelut altitia saginet in hac uita. Sed oggan niunt hic aliqui cōtentiosi, me temerariū esse, qui pro necessitate corporali sanctos inuocari prohibeam, cū ecclesia quoq; oret a periculis mentis & corporis per eorū intercessionē liberari, ut ibi; Et ab aduersitate liberemur in corpore, & a prauis cogitationibus mundemur in mente, & similia.

Deinde adornant suam piām, ut uocant, intentionem, quod temporalia nō

P ij quærunt

Vita Barba,

Vita Catharina.

Scti nō sperant futurū ut essent i memoria hoim nec uidentur orare nobis pro his rebus quas in uita cōtēperunt.

S. Iuliana.  
S. Othilia.

S. Apollonia

S. Scholasti.  
Sacerdotes cōniunt falso sanctorū cultui, ppter quæstum.

Sctōꝝ cultus uerus & pius

Sacerdotes & monachi ex falso cultu scōꝝ saginantur.

Sctōꝝ supstiosus cultus his argumentis fucatur.



quærint, nisi quatenus per ea comodius spiritualia querere possint, & diutius  
ideo uiuere uolunt, & sani, ut pœnitere, & boni fieri possint.

Tertio, quod nonnullis sit persuasum, ut Ioã. Gerson sentit, sanctis in cœlo  
sic esse distributa dona eiusmodi, sicuti in terris habuerunt dona diuersa spiritus  
iuxta illud, j. Cor. xij, Alij gratia curationum &c.

Ad hæc.

Responso  
Scti pronũc  
debent inuo-  
cari p. p. g. alijs  
bus.

Primo illud Christi oppono, Primum quærite regnum dei & iustitiam eius  
& hæc omnia adijcientur uobis, Et iterum: Hæc enim omnia gentes inquirunt  
Si Christus eos appellat gentes qui talia querunt, spero mihi licere eos infirmos  
Christianos appellare, aut certe ignauos & pusilli desyderij homines.

Secundo, Nec prohibeo sanctos inuocari pro temporalibus, sed quod solum  
pro temporalibus id faciant damno, neglectis eorum uirtutibus & exemplis.  
Ostende tu tamen ex omnibus sanctis, qui pro humilitate uel alia uirtute, tan-  
tum habeat concursum cultu & nomine, quantum habet sanctus Valentinus  
pro morbo caduco.

Tertio fateor, quod ecclesia in litanis a fulgure & tempestate, alijsq; corpo-  
ralibus necessitatibus se liberari orat, Sed ordine recto id facit, primũ misericor-  
diam, & remissionẽ peccatorum. Nam & Paulus iussit orari, ut pacem & tran-  
quillitatem haberemus in uita. Sic tu quoq; fac, & uiues, atq; ex me nihil au-  
dies contrarium tibi.

Sanitatẽ pe-  
tere a deo nõ  
est utile.

Quarto, fateor, infirmis in fide licere, ut sanitatẽ, & uitam petant, quod dein-  
ceps melius uiuant. Sed duo hic dicam, Quis scit, aut de seipso audet affirmare  
tam purum se habere cor, ut tam simplici intentione illa petat? Quod maior  
pars simulet potius emendationẽ uitæ, exitus probat, Nam fere & semper effi-  
ciuntur peiores, qui ex plaga, aut castigatione dei liberantur importunis suis uo-  
tis, ut hoc ipso deus stultitiam nostram uideatur testari, scilicet nos non intelli-  
gere, quod dum flagellat, sanat; & dum remittit manum ad nostrum uotum,  
potius magis finit ægrotare.

Vitæ emēda-  
tio fit opti-  
e p. e. tribulati-  
onis.

Passiua uita  
est Christia-  
no potius q̄  
actiua.

Secundo, si uis uitam emẽdare, nunq; id melius feceris, q̄ si in flagello, id est,  
uerissima emendatiõẽ, & medicina uitæ, cœpto perseueres usq; ad mortẽ. Hæc  
enim emendatio uitæ, tanto est solidior, & cõstantior, quo nõ ex te, sed ex deo  
longe uorum tuum praueniente cœpit. Aut quomodo possum nunc recitare  
omnem gloriam & dignitatem uitæ passiua;? Stulti sumus omnes qui uitã præ-  
sumimus emendare in bona ualetudine, quom in egritudine nõ intelligamus  
eam esse emendari cœptam, & longe esse excellentiorẽ, q̄ omnem uitã acti-  
uam. Quare Christianis id potius suadendum esset, ut non modo ægritudines  
libenter ferrent, sed & ipsam mortem quantocyus optarent uenire. Nihil uti-  
lius Christiano, q̄ mori felicissime, ut S. Cyprianus docet. At nos Iuuenalem  
magis audimus: Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano. non sic B. Au-  
gust. Quando nos sumus sani, tunc maxime concupiscentiæ morbus est infa-  
nus: nõ quod quærenda sit mala ualetudo, sed quod illata per deũ, ut optimus  
nuncius dei sit excipiẽda, quia nullũ bonũ sine uoluntate dei quærendũ est.

Christiani  
pleni fiducia

Quinto, hoc ipsum quoq; deus optime prouidit, ut aliqui sancti habeantur  
formidabiles, & uelut uindices, ppter obstinatos & duras ceruices. Sicut S. An-  
to. & nonnulli alij. At nos Christianos docemus, quorum est fiducia, ut sancto-  
rum consortio aliquando copulentur.

Sexto, scio notam illam opinionem eorum, quod sicut in uita sancti diuer-  
sis donis spiritus erant dotati, ita & nunc in cœlo eosdem habere differẽtes gra-  
tias



tias auxiliandi, sed ego non uideo quomodo id possint probare, nisi arguendo a simili: quod argumentum in ijs quæ sunt fidei, est nocentissimum. Quid em̄ aliud facit diabolus, quam in angelum lucis sese transfiguratur, q̄ quod arguit a simili: aut quot errores in ecclesiam inundauerunt sub nomine Christi & sanctorum eius, sub specie sanctitatis, sub pia, ut dicitur, intentione, & zelo catholica fidei, id est, a simili: immo quot ueritates reijciuntur sub pietate aurium nimis tenera sub nomine scandaliz?

Aures pias  
dū timemus  
offendere,  
multas ueritates reijci-  
mus.

Id ego uideo, quod ecclesia nō dicit, Sancte Paule cura mea utinera, sed ora pro me. Ideo sciendum est, quod omnes sancti omnia possunt, & tantum per eos tibi a deo dari, quantum credis te accepturum. Quare omnia tua commendes ei, in quem magis es affectus, primū peccata tua & necessitatē animæ, sicut sancta Cecilia fecit in nuptijs suis: Omnes sanctos per ordinem inuocans, pro sua castitate seruanda apud deum.

Sc̄s cuilibet  
p̄ quouis te  
cōmendes.

Quod sane etiam b. Augu. in quadam epistola sentit, quod uidelicet deus p̄ unum sanctum, immo in uno loco facit, quod in alio non facit, non improbo. Quis cōsiliū dei nouit: si ipse distribuerit, recte distributum est. At nō ideo tibi salutare est in sanctos partiri negocia pro tua sumptione, unde non dixit, quod martyres alia & alia dona acceperint in gloria, sed ait: Non uoluit fieri in omnibus memorijs sanctorū ista, quæ in illo fiunt &c. Et si, ut dixi, deus ita suffert infirmos, qui talia solum quærunt in sanctis, donans pro sua uoluntate, quod quærunt; nostrum tamē est Christianos erudire, & ad perfectionem inducere, & ea quæ sunt salubria, & meritoria docere, ne aliquādo ad id labantur erroris, ut ex sanctis dei sibi idola fingant. Neq; enim est meritū sanari corpus, aut pecuniam augeri, sed infirmari & egere: id demum est pulchrū, si meritum prudenter tuleris.

Conclonato  
res ad p̄fecti  
onē erudiant

Hæc de honore sanctorum primo, id est,  
corporali, & exteriori.

Secundo coluntur sancti uere & interne. Hic autem cultus consistit in laude cordis primum, deinde in uoce & opere foris: id est, quando deus laudatur in sanctis, & sancti laudantur in deo, sicut scriptum est: Laudate dominum in sanctis eius, laudate eum secundum multitudinē magnitudinis eius. Sic Paulus Gal. j. fecisse scribit primitiuos Christianos, & in me, inquit, clarificabant deum, sic facit Psal. cx. Confitebor tibi domine in toto corde meo, in consilio iustorum & congregatiōe. Magna opera domini exquisita in omnes uoluntates eius. Vult enim dominus enarrari gloriam suam, & annunciari opera maiorum suarum. Sicut dicit, Vt annunciēt in Sion nomē domini, & laudē eius in Hierusalem. Et rursus, Narrabo omnia mirabilia tua. Item, Vt enarrem oēs prædicationes tuas in portis filia Sion. Et multa alia in psalterio, ideo em̄ operatur tot & tanta in sanctis, ut ipse glorificetur. Rursus dicit, In domino laudabitur anima mea. Et alibi, Laudamini in nomine sancto eius. Et Psal. xvj. Laetabimur in salutari tuo, & in nomine domini dei nostri magnificabimur. Sic enim Apostolus docet, Quod qui gloriatur, in domino gloriatur. Quare non est dubiū, quin sancti nolint in seipsis laudari & glorificari, sed in domino, & dominum in se. Et iste modus colendi nō modo erit deo gratus, & ipsis sanctis acceptus, uerum & tibi salutaris, & incōparabiliter utilior, q̄ si propter te & tua eos colueris, immo solū ille est salutaris, & alius quilibet noxius.

Sc̄i colūtur  
in deo, & de  
us in ipsis.

Vnde ut pro rudibus demus modū, ille scilicet colit uere sanctos dei in deo, qui opera & gratiam dei in illis intuitus, & meditatus, mouetur & soluitur in

P iij dulcem



Scti uirtus in  
laude dei sic  
uertitur.

Petendorū  
ordo.

In sc̄tis tantū  
conſyderare  
quod boni no-  
bis faciā, eſt  
impium.  
Feſti dies ſan-  
ctoꝝ ad quid  
inſtituti, ſc̄e  
eorū de cultū.

Sctōꝝ ordi-  
nem in coelis  
temere diſcu-  
timus.

Sctōs neſciri  
q̄ ſic coli me-  
lius eſſet.

dulcem affectum erga deum, quod tanta & talia largiri in illis dignatus est, uelut diceret: Benedico te & gratias ago tibi piissime deus, quia aeterna misericordia tua. Sanctum enim hunc praeuenisti, & de peccati perditionisq; massa, tam exitum gloriae uas tibi perfecisti. Sic deum laudasti in sancto suo. Rursum & sanctum suum ipsum in domino ita laudabis, O sancte dei, N. benedictus tu in filiis hominum, qui dignus deo uisus es, tam ineffabilis gratiae, & gloriae dei donis ornari. Quae admodum S. Elizabeth benedixit beatam uirginem, dicens: Benedicta tu in mulieribus. Beata quae credidisti, perficientem in te, quae dicta sunt tibi a domino. Oportet enim ut diuinae gratiae odorem, effusum in sanctos eius percipias, & guttulas bonitatis eius prae gustes, ut & tu in amore dei succedaris. Quid enim aliud sunt sancti, nisi uelut guttulae roris, seu guttae noctium in cincinnis & capite sponsi, sicut dicit: Aperi mihi foror mea sponsa, quia caput meum plenum est rore & cincinnati mei guttis noctium. Sic enim Michea. v. sanctos appellat rorem, dicens: Erunt reliquiae iacob in medio populorum multorum, tanquam ros a domino. Quia totum quod sunt & faciunt, ros & gratia coelestis est, spirans suauissimam dei misericordiam super filios hominum. Sic sic oportet omnem gloriam sanctorum referre in deum, qui dedit eis hanc potestatem. Vide ecclesiam, quae de B. Virgine canit, Benedicta filia tu (sed) a domino, qui non a te, sed per te fructum uitae communicauimus. Et in omnium sanctorum festis, ecclesia orationem dirigit non ad sanctos, sed ad deum cum nominibus sanctorum, eorum merita ex deo uenisse protestans, deinde per eadem preces suas deo commendans. Isto enim sacrificio laudis primum rite peracto, tunc demum subnectenda est petitio nostra, primum pro simili dei gratia, nouissime pro temporalibus. Si tamen temporalia petere potest, qui sitit spiritualia.

Verum ista inuocatio, & cultura sanctorum adeo est neglecta, ut non solum non meditentur opera misericordiae dei in sanctis suis, sed etiam nesciant eorum gesta, immo & nomina, sicut ille qui sanctam trinitatem nominauit dreyſalcken, adeo non quid deus boni in illis fecit, ut glorificetur, sed quid boni nobis faciat ut nos laudemur, consideramus. At spiritus sanctus & ecclesia Christi id intendunt certe in omni cultu, & festis sanctorum, scilicet eleuare cor nostrum in deum & diuina opera, & parere fiduciam ex contemplatione gratiarum in illos collateralium, sicut Christus Matt. v. Sic luceant opera uestra bona. Ad quid? ut crux meum non doleat: non, sed ut glorificet patrem uestrum qui in caelis est. Hic B. Augu. ut non desperent, inquit etiam sibi, si uoluerint, posse praestari. Et sancti quidem hac regula, & eo fine, uixerunt & bona fecerunt, ut lucerent ad gloriam dei. Et sit diabolo operante, ut eorum uita & opera non eo fine praedicentur aut celebrentur. Ipsi per omnem uitam quaesierunt, quae dei sunt: nos uero non solum in nostra, sed & in sanctorum uita, non nisi quae nostra sunt, quaerimus, nihil solliciti de gloria dei. Et passim praedicatur solum quid & quantum possint in nostris commodis, non quantum fuerit misericors deus in ipsis. Inde proceditur ad extremam temeritatem & audacem contentionem, uter sanctorum in caelo sublimior sit coram deo, quasi ipsi aliquid fecerint, ac non potius deus. Oculos omnino in carnem merimus, & a deo auertimus.

Immo nostra aetate (quod detestabilius) eo redactus est cultus sanctorum, ut melius fuerit, neque festa sanctorum agi, neque nomina eorum sciri. Quod ut cognoscas, percurrere superstitiones stulti uulgi, & uide patrocina illa diuersa diuersorum artificum. Aurarii fabri sanctum Elogium, sutores Crispum & Crispinianum, fullones S. Seuerum, pictores S. Lucam, medici Cosmam & Damianum, iuriste S. Iuonem



S. Iuonem, artifta S. Catherinam, aliquando & Aristotelem habent patronos. Alij alios. Et Franci fuũ Kilianum, quaelibet natio fuũ. Sed quomodo hos honorent, aduerte. Primũ nihil eorũ opera uel exempla curant; deinde quãdo ad summũ honoris itur, mane miffam celebrant, & eo toto die feriant, nec alio quoq; indicio nifi ueste & ocio, tantũ feriam simulantes potius q̃ agentes; cæterum lasciuijs, cantibus, moribus, corde nunq; tam alieno a deo q̃ eo die, tempus perdentes, immo sanctos illudentes, ac si Bacchanalia uel Saturnalia agerent, atq; hæc usq; in alterũ diem potando, ludendo, & breuiter usq; ad cædes aliquãdo insanendo perdurant. Hæc em̃ est gloria festorũ dierum his perditis temporibus. Ita ut nec Anubis aut ullum portentum Gentilium deorũ sit foediũ dehonestatũ, immo nec porcus tuus ita se coli sustineret. Sed ita p̃ualuit ira dei, & tradidit in sensum reprobũ, ut sint omnia peruersissima.

Quanto rectius erat humili & quieto corde, pacataq; domo parce refici, & pauperibus uocatis ministrare prandium, immo melius erat laborare, & omnia opera seruilia perficere, q̃ ita feriari. Non enim eo tumultu pompæ & luxuriæ sed quietudine (unde & sabbatizare dicitur) & charitate in proximũ seruitur sanctis. Quod si turpissimum tu ipse iudicares, si quis in festo Paschæ uel natali Christi talia perpetraret, cur patronum tuum eo honoras, quem tunc maxime proposuisti honorare? An qui totum annum fuit quietus & securus a tuis irrisiõibus & ignominijs, hoc die, quo minime oportuit, eisdẽ uexat? Cur execramur Turcas, quod imagines Christi & sanctorum foede conspurcare dicuntur? An nondum intelligimus, quod illorum figura ostendit nobis deus q̃ sibi displiceat, quod nos Christiani sanctos suos in ueritate & foediũ confpurcamus? Quã pulchra religio & pietas, sanctos dei nemo foediũ blasphemat, q̃ ipse cuius est patronus; nec id alio die magis q̃ eo, qui cultui eiusdẽ sacraus est. Finge an tu talem sustinere possis ab infimo homine cultum, id est, illusionem.

Hic itaq; pontificibus esset summe uigilandum, immo saluberrimum foret omnes dies festos abrogare, paucissimis seruatũ, in quibus mane uerbũ dei audiretur & missa. Nihil enim sunt sabbata nostra, nisi opprobriũ ecclesiæ, & nõ eusebia, sed asebia in deum, ut satis nimis ualde docet experiẽtia. Potest & nobis deus multo amplius q̃ ludæis dicere: Odi & profeci solẽnitates uestras, & illud Esa. j. Sabbata uestra & Neomenias uestras odiuit anima mea.

Superest adhuc geminus abusus in cultu sanctorum.

Primus est in superbia & abusione per gloriam uanam, qua inuicem quidã concertant etiam de sanctis, dum quisq; eum qui uel sui studij uel ordinis fuit, nititur ita celebrem facere, ut eum cæteris omnibus præferat; nõ tam quod uelint sanctos dei honorificari, q̃ se ipsos, qui tales habeant patronos. Horũ uanitas & si late patet, & plurimos occupet, non tamẽ audeo latius p̃sequi, tum quod pulcherrima specie adornati facile me temerariũ iudicẽ proclamare auderẽt, secq; purissime excusare; tũ quod ipsos proceres & optimates ecclesiæ q̃q; ea res tangit, qui sunt multo impassibiliõres, q̃ cœlũ ipsum. Nam cœpit & hinc ferme turba fraternitatũ quadã oriri, & nescio an tot fraternitatibus tandẽ efficiant, ut nec fratres nec sorores retineãt. Sed sit hic aliorum iudiciũ. Species est bona, nõ licet acrius taxare, donec clarius seipsum prodat negociũ.

Huc dicerem pertinere eos, qui festũ Cõceptionis beatæ uirginis uolũt esse primum & summum omnium, & qui nouorum festorũ dignitate, priuilegijs indulgentijs, replẽt totos sermones. Nec frustra nos quoq; uixisse uidebitur.

P iij steritas

Festũ diẽ sic  
celebres.

Festi dies SS.  
ecclesiæ oppro-  
brium.

Fraternitates  
faciũt, ut nec  
fratres nec so-  
rores retinet  
amus.

Festis nouis  
uetera obli-  
teramus.



steritas, quia nouis festis fecimus uetera uere ueterasse, si nihil aliud fecimus, hoc unum satis est dignum aeterna memoria.

*Audimus  
hoc seculo  
quiduis poti  
us q̄ solidā  
ueritatem.*

Spero futurū quod adhuc festum Abrae etiam celebrabitur, quia in fide eius fuit origo salutis & promissus Christus. Si enim Abrae non promississet deus, non fuisset Christus natus. Et forte, diem Adae & Heuae quoq; celebrandum est praedestinatum. Itaq; uenerunt dies in quibus omnia libentissime docemus & audimus, praeter ea quae sunt antiquae & solidae ueritatis, ut Apostolus ait, A ueritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur, coaceruant sibi magistros prurientes auribus. Non quod damnem affectum pium ad noua festa, sed quod uideam non pauca agi & extolli, ad inuidiam usq; aliorum. Non egent sancti nostra supbia & discordia, immo non ipsi: sed nos idola ex nobis facimus, & sub nomine sanctorum nos ipsos colimus.

*Quæstus fa  
cit ut multæ  
ecclesie con  
secrentur.*

Alter abusus est auaritia. Eriguntur passim erectaq; sunt ecclesie sup imaginibus non consecratis, praesertim ubi concurrit seductilis turba uulgi, nec ipsae ecclesie consecrantur, in quibus praeter speciem & nomen pietatis, nihil nisi quæstus quaeritur. Si enim sub nomine Christi diabolus mittit Pseudochristos, quanto magis sub nomine & imagine Mariae, aut alterius sancti, potest operari errorem & illusionem? Atq; eo liberius, quo neglectius nos Pauli consilium habemus: Omnia probate, quod bonum est tenete. Et illud Ioan. Probate spiritus utrum ex deo sint, nos uero specie bona contenti, statim sine probatione accurrimus. Facit hos discursus diabolus.

*Discursus ad  
fctos sunt ex  
diabolo.*

Primo, ut populum a locis sacratissimis trahat, & affectum eius alienet a sacris, phanisque distrahat, dum nouis semper & alienis accedit, curiosumq; facit. Hoc enim meruerunt, qui fastidiunt ecclesiam suam domesticam.

*Peregrinati  
ones pernicio  
sissime sunt*

Secundo, ut per hoc accipiant occasionem uelut iustam, negligendi uerbi dei & parochialium officiorum. Omitto quod per uias perdunt tempus, & substantiam profundunt, peccatis multis sese onerant, dum uana fabulantur, uel audiunt uel uident, & domum, rem, familiam negligunt, hoc est frustra laborant, & multa mala committunt.

*Ad peregrinandum uidetur cogi a diabulo.*

Quod autem tales concursus sint ex diabolo, praeter ea quae dicta sunt, ipse etiam praeps concursus uulgi declarat, ferunt enim uxores & famulos inter laborandum aut operandum raptos fuisse, ac uelut relinquere opus coactos: quod a spiritu sancto fit nequaquam, sed est euidentissima daemone illulio. Spiritus sanctus non est spiritus temeritatis & praecipitationis, sed spiritus consilij: nec reuocat praecipitum suum, quo praecipit mulieri esse sub potestate uiri, sine cuius consensu etiam uota sua nulla sunt. Et seruis, ut dominis suis fideliter seruiant nihil fraudantes, quomodo ergo nunc eosdem raperet ad inobedientiam tam rigide prohibitam? Vnde audiui, ubi tales ecclesie fuerunt consecratae & legitimo dei cultu ordinatae, cessasse talem concursum, sed & nunc dicunt aliquae ideo non consecrari, ne desinat concursus, & arescat lucrum. O Christianos, qui ea impietate lucrum quaerunt. Hoc ne ex deo est, quod crucem & benedictionem sustinere non potest? Quis unquam crederet posse Christianos, uel ab astutissimo daemone in hunc erroris barathrum praecipitari?

*O Christianos  
notate impietatem*

*Historia.*

Sed & ego noui hominem, qui simile excelsum illusionis cepit prostituere, sub nomine uirginis Mariae, quae sibi in somnis apparuerat (adeo sancta & digna sibi superbia uidetur) sed a maioribus ecclesie prohibitus, statim ibi quietus diabolus, & migravit alio, & ibidem praualuit erigere lupanar suum. Vere haec sunt signa & idola prostitutionis, quae dominus per prophetam arguit, in quibus fornicant



fornicantur animæ fideles a suo Christo, qui prohibuit ne crederemus ijs, qui cum obseruatione locorum nobis prædicant. Ecce hic est, aut illic est Christus, Nolite inquit, credere, ecce prædixi uobis, Quare tibi sit merito suspectum tanquam negocium perambulans in tenebris, quantumlibet speciosum fuerit, quod in locis illis prophanis agitur. Non enim frustra ecclesia instituit, ecclesias & loca earum sanctificari per uerbum & orationem. Quod si cuius uxor uel seruus uociferetur, sese arripit tali peregrinandi spiritu, audi consilium, arripe & tu quænam aliquam crucem, & sanctifica dorsum eius aliquot ictibus fortiter, & uidebis quod hoc digito dei eijcietur dæmonium illud. Mulieres enim, ut sunt seductiles, solet familiariter istis nugis illudere.

Tertio, Vbi non habet potestatem (sicut uere non ubique habet) in locis prophanis, facit hoc in locis sacris. Hoc autem facit quando relicta matrice ecclesia, peregrinari sollicitat ad dedicationes & patrocinia aliarum ecclesiarum, uel in deserto, uel pagis positarum: ubi tamen uideas tot tabernas & ganeas, ut Babylonem credere possis (sic enim hodie agunt dedicationum & patronorum festa) uespero uero domum redeunt pleni indulgentijs, id est, ceremisia, luxuria, & alijs portentis peccatorum, quibus ibidem seruierunt. Si tamen redeunt, nam ferme est uelut regulare aliquos occidi, aut saltem grauiter uulnerari in dedicationibus, adeo ut in proverbiu transferit: Indulgentias dedicationis distribui sero, cum se se trucidauerint, aut saltem læserint. Has diabolus miserrimas nobis assidue arget ignominias, & adhuc melius ducimus esse tales dedicationes non tolli, quam illas fieri. Det dominus Episcopis nostris aliquando gratiam, ut has indulgentias una cum dedicationibus reuocet, & non sinat diabolum etiam de cæde nostra nobis illudere, cui nimis fuerat permissum, quod erroribus nos illuderet. At hic mihi obijciuntur receptæ illæ peregrinationes ad S. Petrum in urbe, ad S. Iacobum, ad Hierusalem, ad Treuerim, denique in diuersa loca ad honorandas reliquias sanctorum & indulgentias obtinendas.

Respondeo. Non peccaret, qui omnes eas omitteret, & domi maneret: non præceptæ sunt, sed uoluntarie assumptæ. Tamen ego non resistam tanto iam usui & consuetudini præualida: eant sane qui uolunt, dummodo id discant se interim eisdem sumptibus posse incomparabiliter melius deo seruire, & salutem suam operari, si domi seruiant pauperibus, immo sibi commissis, ut uxori, filijs, familiæ, dominis: deinde si flagella dei patienter tulerint, & quascunque aduersitates. Quasi uero non satis nobis pugnae relictum sit domi cum diabolo nisi & foras cum Dina egressi plus occasionum corruptionis quæramus. Quam enim resistunt cauillationibus & curis, quibus in domestica ecclesia impugnat corda nostra: deinde crapulis, lusibus, & ociosis per omnes dies nos uexat, omnia tentans, ne purus sit apud nos dei cultus, & integra salus nostra.

Id quoque nuper inuentum est a nostra philargyria, quod septem aureæ missæ (scilicet, ab aureo nummo sic dictæ quo persoluntur) certis cereolis, certisque alijs ritibus celebrant, nescio pro quo certissimo euentu, ita iniquissimè hostis, nec hoc saltem sacrificium nobis reliquit syncerum.

Quid si saccus ille auaritiæ pertusus & insatiabilis huc pertineat: ubi ad struendum ecclesiæ offertur, mendicatur, corraditur thesaurus sine fine, & reliquijs & indulgentijs in hanc rem uaferrimæ utuntur, ut ubi congesta fuerit pecunia nec structuræ, nec pauperibus, sed pro bello, aut litibus uel presentibus expendantur, uel futuris referentur?

Sic enim & clauos Christi fecerunt auaritiæ ministerium, tamē sub sanctissima pietatis

Locorum obseruatio suspecta est.

Mulieres que contendunt peregrinari, debent quædam cruce prius a uiro sanctificari.

Dedicationes uisitantes relicta ecclesia propria.

Indulgentiæ dedicationum abroganda.

Peregrinationes ad S. Iacobum sunt minus utiles, quam uera opera pietatis.

Christiana doctrina.

Missæ aureas inueniuntur auaritiæ.

Saccus auaritiæ sacerdotalis profusus ad structuram colligitur.



Auaritia oī/  
bus abicitur  
ī suū quæstū  
p̄ceptu pietat/  
tis.

pietatis specie, ut aureos & argenteos nummos perforent. Cur si sola deuotio  
quæritur, nō potius papyrus aut tabulā perforant? Sed quid ego Lernam aua  
ritiæ in ecclesia describere tento? de qua propheta ipse desperans, omniac̄ in  
unum concludens dixit: Omnes sequunt avaritiam a maximo usq̄ ad minimū

Sit tandem summa summarū: Omnes ij sanctorū cultores contra hoc primum  
peccant præceptū, quia non quæ dei, sed quæ sua sunt, in ipso etiā deo & san  
ctis eius quærunt, suntq̄ sibi ipsi huius operis sui ultimus (ut dicitur) finis, &  
idolum, utentes deo, fruētes seipsis, de quibus potest illud dici Psalmo, lxxvij  
Cum occideret eos, quærebant eum & reuertebantur; & diluculo ueniebāt ad  
eum, & commemorati sunt, quia deus adiutor est eorum, & deus excelsus redem  
ptor eorum est, sed quo corde id fecerint, sequitur; & dilexerūt eum in ore suo,  
& lingua sua mentiti sunt ei, Cor autem eorum nō erat rectum cum eo, nec fi  
deles habiti sunt in testamento eius. Et illud Christi, Ioannis, vj. Amē dico uo  
bis, quæritis me, non quia signa uidistis, sed quia manducastis & saturati estis  
Eadem causa & illum repulit, qui dixit: Magister, sequar te quocūq̄ ieris. Ipse  
uero: Vulpes, inquit, foueas habēt, & uolucres cœli nidos, filius autem homi  
nis nō habet ubi caput suū reclinet. scilicet, ostendens, quod nō propter lesum  
tantum, sed propter suam cupiditatem hæc dixisset ille.

Abnegatio  
sui ipsius præ  
cepta est, nō  
ut iuocemus  
sc̄ctōs, p̄ santi  
tate.

Stat ergo sententia fixa: Qui uult uenire post me, abneget, non pecuniā, nō  
uestem, non deniq̄ sanitatem, sed seipsum, & tollat crucem suam, & sequatur  
me. Item: Qui non renūciauerit omnibus quæ possidet, non potest esse meus  
discipulus. Item, Qui nō odit patrem & matrem, adhuc autē & animā suā, nō  
potest meus esse discipulus.

Porro cum illi etiā corpus suum quærant, & quæ corporis sunt, certū est,  
quod non sunt digni Christo, sunt tamen digni aliquibus donis mercenari  
rū, sicut filij Abraæ ex Cetura, sed nō hæreditatē cū Isaac. Si autē nō sunt digni  
Christo, clarū est, quod nō faciūt uoluntatē eius, ergo nec seruāt mādātū eius.

Sc̄ctōs, p̄ tpa/  
libus inuocā  
tes, indigni  
sunt Christo

Non hæc dico, quod uelim omēs esse damnatos, qui tales sunt, sed ut discant  
solum suam miseriam, & non sese ideo Christianos esse confidant, quia sic ho  
norant & colunt deum, & sanctos, immo imperfectū suū uidentes intelligant  
quid ille gemitus significet, quem nos Christus docuit confiteri; deinde iussit  
orare nos: Dimitte nobis debita nostra. Et, Fiat uoluntas tua &c. quia scilicet  
tales nō sumus, cum tamē esse debeamus.

Bona tpa  
quo consilio  
det deus.

Ideo si cōsiliū dei liceat capere, nō ista bona dat, ut ijs uelit satiare, sed ma  
gis irritare paruis ijs ad maiora petēda, uel ipsos imperfectos, uel saltē filios sui  
os, quibus talia nō tribuit. Et hæc sat sint de hac materia.

Pighardi nos  
accusant ido  
lolatræ.

Verum ne Pighardi hæretici infelices, suas partes a me adiutas confidant, q̄  
præ nimia ruditate nobis Teutonicis (superbissimo fastidio indignati) impo  
nunt, quod sanctos dei colamus, & idola faciamus, & ideo contra nos acruū  
uersuum scripturæ congregant, in quibus prohibetur, ne adoret quis nisi unū  
deum, & ut nobis apud suos iustissimam inuidiam constare uideātur, insidio  
sissime omittunt quod scribit rex Dauid & Salomon, & multi alij adorati, si  
mul impij peruersores scripturæ, & subdoli calumniatores nostræ pietatis. Ita  
enim rustici illi nos tandem docent, quod solus deus sit adorandus, & glorian  
tur, ac si nos id ipsum negauerimus unq̄, cum tamē negare nō possint, frequē  
ter aulicos regios honorari, ac uelut adorari, ut facilius ad regem perueniatur  
Propter horum itaque rudissimam & insulsissimam rusticitatē, Dico ego ad  
sanctorum suffragia recurrēdū omni modo, sicut in Job dicitur, & ad sanctorū  
aliquem



aliquem conuertere. Et sicut Salomon suum patrem allegat: Memento domine David, & omnis mansuetudinis eius. Sed & Iacob patriarcha dixit de Ephraim & Manasse: Inuocetur nomen meum super pueros istos, & nomina patrum meorum Abraam & Isaac. Sed de ijs suo tempore, si deus uolet.

Hic fiducia quoque indulgentiarum taxanda fuisset, nisi iam plus satis illa multis modis a me taxata esset.

Nunc de altera specie transgressionis dicendum, scilicet eorum, qui pro uero deo idolum, sapientiae & iustitiae suae colunt. Hi sunt filii superbiae, quorum rex Behemoth ille diabolus, uocatur a deo. Iob. xij. Horum est libero arbitrio confidere, non esse male habentes, non egere medico. Is solus Christus gratis est mortuus, quia sine ipso possunt bene uiuere. Sic olim Pelagiani praecipue, deinde haeretici omnes perditii sunt. Porro hodie quoque sunt, qui Pelagiani quidem non sunt, sapiunt tamen idem uel peius, quam Pelagiani. Nam Pelagiani deo saltem id tribuerunt, quod per doctrinam legis erudiret liberum arbitrium. Hi uero habent dictamen rectae rationis, quae deprecatur ad optima, ut legis eruditione non pro necessitate, sed pro commoditate tantum utantur: dissentiunt tamen a Pelagianis, quod sine Christo non posse bene uiui meritorie concedunt. & ita Christus non est mortuus propter peccatum, sed propter non meritum. Non fuisset necesse eum mori, ut inferni poenas solueret, sed tantum ut mereri caelum contingeret. Nam si sine peccato nasci sine peccato mortali actuali (id enim, & si difficile, tamen asserunt possibile) huic non est necessarius Christus redemptor de potestate diaboli, sed adiutor duntaxat ad caelum, quia si is moreretur, nec ad infernum, nec caelum ueniret. Qua theologia mihi uidentur asserere, neminem nasci filium irae & filium diaboli: nisi filium irae, diaboli quoque dixeris id esse, quod non meritorium. Et dum sacerdos exufflat Satanam in paruulis baptizandis, ut locum det spiritui sancto, intelligitur solum facere ex uase non meritorio meritorium, sic enim uasa irae Apostolus cogitur nunc demum intellexisse. Et baptismi sacramentum confert gratiam, non in remissionem peccati, sed initium meriti duntaxat. & illud symboli: Confiteor unum baptismum in remissionem peccatorum, noua glossa oportet intelligi, non de peccatis damnationis, sed de peccatis non meritorijs. Ac sic peccatum originale nullum damnum intulit mundo, nisi quod priuauit merito & uisione dei. Et ea priuatio uisionis, id est, omnium bonorum, non est malum, nisi uoce tantum, scilicet priuatiue. Sic enim theologizamus hodie. Et Christus pro nobis factus maledictum & peccatum, ut de maledicto & peccato nos liberaret, non aliter intelligitur, quam quod est factus non meritorium, ut de non meritorio nos liberaret, denique uocabulum illud, peccatum, per totam scripturam, nouam accipiet et significationem, id est, scriptura induet confusionem. Sed mittamus has tenebras, alijque temporibus referuemus, quia & alias sepius de his diximus & egimus.

Igitur, sicut supra diximus, Cum simus iuxta B. Augu. una massa perditionis, nemo iustificatur, nisi per puram sine meritis gratiam Christi. Ideoque necesse est, ut superbiat, sibi quoque aliquid esse uideatur, qui nondum de se, sua ratione, pia intentione, suis operibus internis & externis desperauit, & ad thronum gratie tremens & miser accessit. Nam omnes illae uirtutes morales, & scientiae speculatiuae duplo malo conficiunt hominem. Primo, quod non sunt uerae uirtutes & scientiae, sed peccata & errores, quia fiunt necessario ex corde malo, & nondum sanato per gratiam, quod non potest nisi seipsum querere in omnibus, & sic faciunt hominem uacuum & inanem.

Dictamini  
rectae rationis  
confidentes Pe-  
lagiani sunt.

Christum dicunt mortuum  
propter meritum nostrum.

Virtutes morales & scientiae speculatiuae sunt peccata.

Altero



Altero, quod fallunt & inflant, ut homo sibi nō malus nec stultus uideatur. Quibus fit, ut sit securus, & nihil, uel minus sollicitus de gratia quæreda, dum scit se nihil mali facere, licet fateatur se nihil meriti in tot bonis facere.

Inde procedit malū latius, ut omnes despiciat, iudicet, damnet, mordeat, zel, arguat, detrahat, qui sibi dissimiles fuerint: quia cum pharisæo non est sicut ceteri hominum, nec unus ex ipsis. Hi sunt qui domum suam super harenā ædificant, horrendo periculo & æterna ruina casuram.

Iusti nō teme  
re iudicāt p/  
ximum.

Veri autem serui iustitiæ, sciunt & confitentur se totos esse peccatū, totumq; suum bonū, non intra se, sed extra se, in deo & misericordia eius situm esse uolunt: quia iustus ex fide uiuet; non autem iustificatur in conspectu dei omnis uiuens. unde suis malis pressi, neminem iudicant, nisi seipsos, nulli detrahunt, neminem cōtemnunt, nisi seipsos, & implent hanc definitionem iustitiæ: Iustitia est accusatio sui in principio, & iustus primum est accusator sui. Hi habent uere unum deum, ex quo, per quem, & in quem iustificatur, & sunt sine peccato per misericordiam dei ignoscentem, nō per suam iustitiam operantē. Sic glorificatur deus, & colitur uere, dum eius operibus tribuitur quicquid sumus, immo dum opera nostra nō sint nostra, sed dei, sicut Christus ait: Doctrina mea non est mea; ita nihil nobis relictum est, nisi peccatū, stultitia, malitia, perditio, & confusio, ac per hoc non possumus nobis in ullo placere, aut idolū facere, redacti in nihilū, ex quo & uenimus, remanēte solo deo oīa in oībus.

Sed quādo hæc dicimus, obijciunt, ergo non sunt facienda bona? Sicut Apostolo quoq; hæc ipsa docenti, obijciebantur, faciamus mala, ut ueniant bona, quorum damnatio iusta est.

Bona sunt  
facienda.

Bona opera  
moralē scētā  
mala sunt co  
ram deo.

Ideo illis respondendum. Primum, quod nō prohibentur, sed q̄ maxime docentur bona fieri, controuersia duntaxat in uocabulo bona consistit. Nam si ne fide impossibile est placere deo, & omne quod nō est ex fide, peccatum est. Illa sane bona, que illi uocant, naturaliter & moraliter facta, ideo sunt mala coram deo, quia non fiunt ex deo, nec propter deum, id est, nō cognoscunt nec referuntur in deum, sed homo sibi ea tribuit, & in eis tanq; suis placet cum nō sint sua. Illud enim additamentum Leuiathan facit, ut omnia sint apud deum mala, quantumlibet speciosa sint coram hominibus; unde Paulus libera uoce tam super gentes q̄ ludæos clamat: Non est iustus, non est qui facit bonū, oēs declinauerūt, simul inutiles facti sunt. Ut autem homo agnoscat opera sua esse dei solius, gratia eū illuminat, natura nō docet. Inde fit, ut talis homo sit patiens & mitis, siue uituperetur, siue laudentur eius uerba & opera, sciens quia nihil amittit, cum non sint sua. At natura furit ubi uituperatur, & insanit ubi laudatur. Ratio omnīū est, quod fides & spes nō habet aliud fundamentū, nisi solum deum Iesum Christum, petram ipsam, & nullam prorsus creaturam. Ratio autem & natura habet fundamentū harenam, opera sua bona & sapientiā suam. Inde fit, ut homo ruentibus suis operibus bonis, si per diffamiam irascatur, si p̄ consciētia & iudicij diuini reuelationem, desperet in æternum. Iustus autem etiam si cadit resurgit, & contra cōscientiā in dei misericordia nititur; sicut scriptū est: Quoniam rex sperat in dño, & in misericordia altissimi nō cōmouebit.

Bonus mora  
liter tm̄, si ui  
tupatur ira  
scitur.

Merita ex  
spe ueniunt,  
nōe diuerso.

Quocirca definitio spei apud magistrum sententiarū, uel est falsa, uel est obscure, & non intelligibiliter posita: quia spes non prouenit ex meritis, sed contra, merita proueniunt ex spe: quia sicut fides, ita spes, ita charitas, necesse est, ut sint ante omne opus meriti priores. Prouenit enim spes nō nisi ex misereunte & infundente deo. Nec habet obiectum uel materiā seu fundamentū aliud, q̄ ipsam



¶ ipsam nudam dei misericordiam, nequaquam opera nostra, quae sunt potius obie-  
ctum, & ex quibus provenit desperatio. Christus nobis uixit, & meritum nostrum  
est, si credimus in eum. Credentes autem in eo, iam non sibi uiuunt, nec sua me-  
rita cumulant, sed Christo seruiunt, & uicissim Christo merentur. Sic enim Apo-  
stolus docet Rom. xiiij. Siue uiuimus, domino uiuimus, siue morimur, domino  
morimur, ipse spes nostra, & nos (ut ita dixerim spes) seu expectatio eius; sicut  
filius est spes patris, & pater spes filij, cui omnia prouidit & thesaurizauit.

Quomodo autem de superbia rerum spiritualium dixi, ita & de corporalium  
rerum superbia intelligatur, ut sunt diuitie, forma, gloria, potentia, fauor, ge-  
nus, uoluptas, & similia. In his enim qui confidit & superbit, aliosque fastidit sui  
dissimiles, manifestum est, quod haec sua facit, deosque rapit, & sibi in idola trans-  
mutat. Quae si solius dei esse cognosceret, non distingueret inter se, & quem  
libet perditissimum hominem, nihilque plus sese habere fateretur, nisi quod so-  
lus Iesus Christus eius fiducia est. Sic fieret, si hoc praecipuum seruaretur, ut  
nulla superbia, id est, nulla radix, nullum initium peccati, ac per hoc nulla  
peccata essent, sed pax, amor, mititas, largitas, patientia, & omnium uirtutum  
plenitudo: quod non in hac uita sperandum est, ideo semper manemus peccato-  
res, & huius praecipui transgressores, solo hoc sacrificio salui, quod hanc trans-  
gressionem non ignoramus, neque negamus, neque cum impijs uerbis malitiae in pec-  
catis nos excusamus, sed confitemur, & gemimus auxiliu gratiae, & regni futuri  
accelerationem. Qua humilitate meremur nobis ignosci, in his quae minus faci-  
mus, sicut B. Augusti. ait, Omnia mandata implentur, quando quicquid non sit  
ignoscitur. Ignoscitur autem confitentibus, quia humilibus deus dat gratiam.

Vnde caueda est illa perniciofa & adulatrix glossa, immo totius humilitatis  
expultrix, & uastatrix, qua dicitur: Deus non requirit hoc praecipuum impleri in  
hac uita, facit enim haec glossa securitatem nocentissimam, dissoluit manum, & remittit  
gentem strenuorum bellatorum. Et est unum de puluillis, & ceruicalibus, quae  
in Ezechiele damnat dominus nisi: sane intelligatur, scilicet quod non requirit  
quidem ab his, qui ipsi a seipsis requirunt eiusmodi plenitudinem, & dolent, atque con-  
fitentur sese non implere, & ideo festinant egredi, & cupiunt dissolui, ne sint diu-  
tius cum peccato, & in obediencia huius praecipui, sed cum Christo & iustitia, &  
plena obediencia praecipui, his in quibus non imputat nec requirit. Verum qui ipsi non  
requirunt & exigunt a seipsis, sed consuunt sibi puluillos sub manibus, & sine  
timore incedunt certi, quod non requirantur: ab his certe exigit usque ad nouissi-  
mum quadrantem. De his dicit Psal. ix. Propter quid irritauit impius deum: dixit  
enim in corde suo, non requirit. Qui enim non agnoscit se peccatum non de-  
bere, quomodo se agnoscat esse peccatorem? Qui autem non agnoscit se pecca-  
torem, quomodo timebit deum & iudicium eius? qui autem non timet, quomo-  
do humiliabitur: qui non humiliatur, quomodo gratiam consequetur: qui gra-  
tiam non consequetur, quomodo iustificabitur: qui non iustificatur, quomo-  
do saluus erit?

Confidere in  
corporalibus  
rebus est im-  
pietas.

Superbia re-  
medium effi-  
cacissimum.

Amoris praeci-  
puum a no-  
bis deus exi-  
git totaliter, quod  
non implere non  
possumus.

## SECUNDVM PRAECEPTVM.

NON ASSVMES NOMEN DOMI  
NI DEI TVI INVANVM

Q

Hoc praeci-